DE VERSIBUS
DE INTERPOLATIONE SUSPECTIS
IN OEDIPO COLONEO
SOPHOCLIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS,

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI

CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

RITE IMPETRANDOS

Praeceptori carissimo

SCRIPSIT

grato animo

CAROLUS KRAUTH

auctor.

BEICHLINGENSIS.

HALIS SAXONUM

FORMIS DESCRIPSIT E. KARRAS.

MDCCCLXXXV.

In textu fabularum Sophoclis constituendo, quem iniuria temporum pristinam sinceritatem multis locis amisisse constat, recentioris potissimum aetatis viri docti diligentissime elaboraverunt. Cum vero difficillimum sit, quo loco vitium non primo aspectu cognosci possit, quid poëtae aut quid interpolatori tribuendum sit, recte discernere, saepenumero accidit, ut alter homo doctus in versu, quem alter ut vere Sophoclium praedicet, pingue histrionis vel grammatici alicuius ingenium agnoscat. Qua in discrepantia sententiarum quid omnino de singulis fabularum Sophoclis versibus suspectis iudicandum sit, anquirere operae pretium fuit. Postquam Lazarewicz in dissertatione, quam de versibus spuriis apud Sophoclem Berolini 1856 scripsit, sex vetustiorum fabularum interpolationes in iudicium vocavit, reliquum erat, ut idem desiderium in Oedipo Coloneo compleretur. Rassfeldus autem in dissertatione, quae de versibus suspectis et interpolatis fabulae Sophocleae quae inscribitur Oedipus Coloneus Halis a. 1883 prodiit, proposito suo non ab omni parte satisfacit. Neque enim interpolationes canticorum attingit, neque de iis, quae in diverbiis obveniunt, omnibus disserit. In iis autem, quae profert, eorum virorum auctoritate, qui quoque loco interpolationem statuendam esse censuerint aut negaverint, nimium ducitur, quam ut hanc interpolationum quaestionem ab eo multum provectam esse, ne dicam absolutam, putemus. Nimirum coniecturae campus latius quam in ceteris fabulis videtur patere in Oedipo Coloneo, quam non ab ipso Sophocle sed ab eius nepote post mortem avi in scena exhibitam esse argumenti alterius scriptor memoriae tradat.*) Inprimis autem A. Nauckius in editione et in annalibus academiae

*) *τόν ἐπὶ Κολωνῷ Οἰδίπουν ἐπὶ τετελευτηκότι τῷ πάππῳ Σοφοκλῆς ὁ υἱδοῦς ἐδίδαξεν, υἱὸς ὢν Ἀρίστωνος, ἐπὶ ἄρχοντος Μίκωνος.*

Petropolit. inde ab anno 1860 multus est in singulis vocabulis ac totis versibus notandis, cuius licentiam Wecklinius in libro qui inscribitur „ars Sophoclis emendandi“ 1869 circumspecto iudicio coercitam, nuper in editione Oedipi Colonei 1880, quam Rassfeldus sero cognovit, audacia recentium suspicionum paene adaequavit. Bellermannus contra quamquam in editione, quae post Rassfeldi dissertationem in lucem prodiit 1883, plurimos locos de interpolatione suspectos bene defendit, eo studio deductus in id vitium incidit, ut nonnullorum versuum damnis interpretationis artificiis ac contortione mederi conetur.

Quae cum ita sint, operam non perdidisse mihi videor, si quaestione, quam Rassfeldus incohatam reliquit, suscepta de versibus de interpolatione suspectis in Oedipo Coloneo ratione ac via disserendum mihi proposui. Qua in causa sententiis communibus aut vanis optationibus nihil demonstrari arbitratus omnem rem Sophocli quasi ipsi diiudicandam tradidi, ut altera parte dissertationis meae sermone poëtae altera parte fabulae oeconomia, ut ita dicam, quid genuinum aut quid interpolatum sit, discernatur.

Pars I.

Ad sermonem Sophoclis interpolationum quaestiones revocantur.

In textu Oedipi Colonei ab interpolationibus vindicando viri docti saepius id peccaverunt, quod ad nonnullas Sophoclis in dicendo et cogitando proprietates parum attenderunt. Neque vero in hac re totam poetae artem in iudicium vocari opus erit, sed duobus tantum sermonis artificiis quaestio nostra continebitur (A) ubertate et (B) symmetria. Utraque virtus dictionis Sophocliae inservit arti rhetoricae, quam in recentioribus fabulis sensim latius spatium obtinentem in Oedipo Coloneo vel maxime excultam esse videbimus.

Ac primum quidem de ubertate disseramus, cuius duo genera sunt, quorum alterum (a) in verbis, alterum (b) in sententiis spectatur.

Atque ut ab ubertate verborum proficiscar, hoc loco in eas tantum eius artificii species inquirere nostra interest, quae in Oedipi Colonei nonnullis versibus interpolationis suspicionem moverint. Quare primum, quibus condicionibus ars Sophoclis vocabula post parva intervalla repetita tulerit, tum de singulari quorundam vocabulorum usu quaeramus.

§ 1. A. Ubertas (a) verborum

α. in repetitionibus vocabulorum conspicitur.

Qua in quaestione num viri docti versuum 380, 830—31, 71 et 1488, 1501 et 278—81, 769^b et 1716 fidem recte in discrimen vocarint, apparebit.

Duo viri doctissimi ac de veterum scriptis maxime meriti de usu repetitionum valde dissentiebant, quorum alter Ritschelius in Jahn. ann. 1858 p. 788 sibi persuasum esse negat veteres poëtas eiusmodi paupertatis testimoniis ipsos se esse persecutos, alter G. Hermanus ad Aesch. Pers. v. 881 adnotat nihil frequentius esse in Graecorum tragoediis quam eorundem vocabulorum iterationem.

Ac Schmidtius quidem in duobus programmatis Magdeburgi 1855 et Neostrelitzi 1862 de ubertate dictionis Sophocliae diligenter conscriptis eorundem verborum repetitiones obiter tantum tangit, cum Jacobus in dissertatione, quam Gottingae de usu alliterationis apud Sophoclem scripsit, in abundantia verborum ab eadem litera incipientium consilium poëtae agnoscendum esse demonstret. Quidni tota verba post parva intervalla repetita investigantibus nobis Sophoclem nihil moliri inepte*) vel maxime comprobetur? Jure omnes Sophoclis artem in oratione personarum moribus ac rerum condicioni adaequanda mirantur.**) Neque vero, qua is diligentia colorem orationis temperet, minore laude dignum est. Itaque vocabula Sophocles nisi consulto non repetit et, si repetit, eo artificio raro in initiis ac finibus versuum utitur, ubi eodem sono aures maxime perfringuntur, saepissime autem in mediis vel singulis vel pluribus deinceps versibus, ubi narrationis fluctus copia similium verborum magis ornatus quam oneratus aures non tam vexat quam oblectat.

Quoniam in tot repetitionibus enumerandis brevitate opus est, versuum numeros Nauckii editionem secutus describere satis habeo. Qua in re et locus repetitionis et ipsa ratio verbi repetiti dispositionem praebuerunt. Itaque, cum de repetitionibus et in initiis et in finibus et in mediis versibus dicendum sit, primum utrum vocabula repitita eam figuram, quam dicunt *παρόμοιον*, an *παρονομασίαν* efficiant, tum, quod levioris momenti est, utrum deinceps verba an post aliquod intervallum repetantur, distinguemus.

Atque ut ab eo genere repetitionum incipiamus, quod latissime apud Sophoclem patet: in mediis versibus deinceps

*) Hor. a. p. v. 140.
**) cf. Plut. moral. p. 248 D.

immutatae repetuntur et figura parhomoei continentur interiectiones, invocationes, preces, affirmationes, interrogationes, responsiones stichomythiae, ut motus animi depingatur.

παρόμοιον

interi.	invoc.	preces.	affirm.	interr.	respon.
		Antigona.			
	947	1108			
		Electra.			
764 1161	121 1085		1163/4	675	
1246	1410				
		Oedipus Tyrannus.			
1071 1182	629 1403				
1217 1307				1211	
		Aiax.			
370 694	694 695	397	232 360	867	
737 870	854		415		
		Philoctetes.			
428 732 739	797	816 832	205 743/4	135	1229/30
746 754 760	1101	1041	1170	687	
1186	1188	1179	1197 1208		
		Trachiniae.			
1004 1015	1023 1031	655	211 893	98	
1026 1143	1089	1005 1042	1025 1144		
		Oedipus Coloneus.			
198 220	844 1099	243/4 841	1079	1099	1677
224 519	1457 1560	1477 1491	1454		1703

Eadem autem frequentia a Sophocle duo deinceps vocabula eiusdem stirpis iunguntur, quorum alterum ab altero formae aliqua flexione declinat. Grammatici hoc artificium paronomasiae vel adnominationis nomine comprehendunt. Quo loco satis erit et declinationum et coniugationum formas easque cum nomine eiusdem stirpis coniunctas et adiectiva cum suis adverbiis distinguere et responsionum stichomythiae exempla a sermone continuo separare, quod interpolationum quaestio etiam ab eis repetenda est. Neque ab his quidem repetitionibus consilium poëtae abest, quo maiore pondere aliqua notio auribus inhaereat.

παρονομασία

formae declin.	f. coniugationis.	adject. adverb.	respon.
in oratione continua.			stichom.
	Antigone.		
156/7 413 596 977 1266			508/9
	Electra.		
235 849 851 1154 1361	171/2 210 357 1034 1056 1407	989 198	398/9
	Oedipus Tyrannus.		
100 284 334 380 1250 1365 1469 1496	889 1250 1437 1458	269	
	Aiax.		
293 522 665 839 866 1129 1283 1093	214 1107 1134	1177 1391	
	Philoctetis.		
65 135 296 847 959 984 1002	59 297 470 1029 1035 1190 1380	166	590/1 816
	Trachiniae.		
28 198 494 613 619 651 885 994 1045		608	
	Oedipus Coloneus.		
150/1 199 230 544 595 613 779 983 1238 1384	477 1025		545

Iam venimus ad vocabula eadem post parva intervalla in eodem versu vel in duobus deinceps versibus repetita; nec deerunt intervalla altero versu latiora. Eandem autem dispositionem, qua supra parhomoei usum demonstravimus, hoc loco tenemus, nisi quod exempla eius figurae, quam grammatici *ἀντίθετον* vocant, huc accedunt, de qua infra, cum de versibus 1501 et 278—81 agemus, uberius dicendum erit. Poëtae vero consilium in hoc artificio idem fere est atque in vocabulis deinceps repetitis.

παρόμοιον

exlamat.	affirmationes.	interrog.	respon. stichom.	*ἀντίθετον.*
	Antigona.			
	340 441 484 782/3 873 1174 1273 1285 1340/1		512/3	200/1
	Electra.			
148 1376/9	105/6 173 229 459 751 523/4 922 1445 1475	526	772/3 790/1 1035/6 1214/5 1216/7 1224	1228/9 959/61

exlamat.	affirmationes.	interrog.	respon. stichom.	ἀντίθετον.
	Oedipus Tyrannus.			
	216 685 1184/5 1224 1256 1282/3 1305 1320 1322 1329	1391		219/20
	Aiax.			
859	765 925 1308/9 109/11		793/4 1126/7	506/7
	Philoctetes.			
779 827 889 932 742/5/7	236/7 278 633 663/4/5 814 845 850 855 989/90 1031/2 1036/7 1178 1421 1462	175 1172	101/2 112/3 814/5 976/7 994 900/2	503 1370/1
	Trachiniae.			
971/2 1081 1085/7	26/7 29/30 232 311 606 809/10 830 1008 1040			161/2 789/90 518/20
	Oedipus Coloneus.			
182 847 885 1700	251 261/2 273 336 623 976 982 987 1129 1323 1367 1391 1547 1389/91	316	832 883	141 610 614 787 1342/3 1065/6

Sequitur, ut vocabula post parva intervalla in eodem versu vel in duobus deinceps versibus de industria repetita enumeremus, quorum alterum cum altero stirpe congruit, formae autem aliqua flexione differt. Disposuimus autem ea ita fere ut supra paronomasiae exempla.

παρονομασία

oratio continua				stichomyth.
form. declin	form. coniug.	adj. adv.	ἀντί-θετον.	
	Antigona.			
73 260 379/80 469/70 471 565 595 834 1240 1280/1 1326	101/2/3 239 323 551 744/5 756 872 1173 462/4		93/4 898	323/4 522/3 756/7 1057/8 1060/1
	Electra.			
589/90 621 671/2 742 761 762 1166 1085/9	267/8 335/6 498 1194 1487			392/3 399/400 615/6 795/6 1044/5 1046/7 1195/6 1199/1200 1264/5 1456/7 796/8 884/6
	Oedipus Tyrannus.			
222 230 596 629/30 1397	119 1334/5 1404		133	654 1156/7

oratio continua				
form. declin.	form. coniug.	adj. adv.	ἀντίθετον.	stichomyth.
		Aiax.		
267 342 557 738/9 841 1197	79 289/90 308/9 1089/90 1347 430/2 1094/6	7		
		Philoctetes.		
115 138 232 384 452 530/1/2 534 685 727/8 874 1045 1244 1266 1371/2	55 150 173 276/7 329 379 958 1042/3 1218/9 1259 1396 1397	1369 833/4	1370/1	323/4 736/7 741/2 753/4 810 813 897/8 911/2 974 1235/6 1244/5 1246/7 1301/2 1382/3 1383/4 1390/1 652/4 1273/6
		Trachiniae.		
34 409/10/11/12 994 164/6 994/6	64 449/50 483 631/2 671 707/8 813/4 624/6		950/1 1270/1	876/7/8 1182/3 1245/6
		Oedipus Coloneus.		
245 609 658 744 789 808/9 1108 1109	317 518 726/7 1113 1665/6 1668/9 1115/7	1448	1501	538/9

Iam vero ut quaestio eo revertatur, unde haec omnis repetitionum causa ducta est: in versu 380 *ὡς αὐτίκ' Ἄργος ἢ τὸ Καδμείων πέδον* vocem *Ἄργος* e versu 378 interpolatam esse a Nauckio iniuria contendi facile cognoscitur. Quid enim ea repetitio aliud sibi vult, quam ut in modum earum affirmationum, quas supra composui, urbs illa maiore vi ac pondere audiatur? Inanis igitur eius coniectura *αὐτός* prae hoc Sophoclis artificio est, quod etiam Meinekius mutatione *Ἄργοθεν* valde detrectavit. Nimirum omnes editores, quae oppositio insit in notionibus *καθέξων* et *πρὸς οὐρανὸν βιβῶν* particula *ἢ* seiunctis, non recte mihi interpretari videntur. Verbum enim *κατέχειν* hoc loco non obtinendi vim sed coërcendi usurpat velut in Phil. v. 10: *ἀλλ' ἀγρίαις κατεῖχ' ἀεὶ πᾶν στρατόπεδον δυσφημίαις* et Ant. v. 604—5: *τίς σάν, Ζεῦ, δύνασιν τίς ἀνδρῶν ὑπερβασία κατάσχοι,* vox autem *τιμῇ* ad utrumque verbum spectans ideoque loco pathetico posita ambigue dicitur „aestimatione" et cum verbo *καθέξων* coniuncta „Argos aut Thebas aestimatione hominum afflicturus, scilicet clade accepta", et cum verbo *βιβῶν* coniuncta „Argos aut Thebas aestimatione hominum ad caelum elaturus, scilicet victoria reportata" significat. Ea autem distinctio apte infertur, cum Ismena nihil nisi proelio rem commissum iri dicere velit, quod utrum ad Argos an apud Thebas futurum sit, usque eo ambignum ipsius demum

Polynicis oratione v. 1305 sq. indicatur. Quamquam Sophocles planius *ἢ Ἄργος ἢ Θήβας ἢ δυσκλείᾳ καθέξων ἢ εὐκλείᾳ πρὸς οὐρανὸν βιβῶν* dicere potuit, tamen hoc acumine dictionis Polynicem gloriae cupiditatem omnibus rebus anteponentem*) bene describi nemo negabit.

Neque vero Wecklinius versus 830—1 *Κ. οὐχ ἅψομαι τοῦδ' ἀνδρός, ἀλλὰ τῆς ἐμῆς. Ο. ὦ γῆς ἄνακτες. Χ. ὦ ξέν', οὐ δίκαια δρᾷς.* iure tollit, quod idem exprimant, quod v. 832 *Κ. δίκαια. Χ. πῶς δίκαια; Κ. τοὺς ἐμοὺς ἄγω.* Tabulae enim de usu adnominationis et parhomoei supra descriptae Sophoclem iis artificiis ad acumen stichomythae augendum valde delectatum esse docent. Cui vero in hac actione concitatiore ea eiusdem sententiae repetitio non vel maxime arrideat, qua chorum, quo iure Creon tantam impudentiam excusaturus sit, mente non percipere scite illustretur!

Quos ad versus servandos tantam molem similium repetitionem congerere paene supervacaneum fuit, nisi eodem munimine ad alias suspiciones removendas opus esset. Itaque de versibus 71 *ὡς πρὸς τί λέξων ἢ καταρτύσων μόλοι;* et 1488 *τί δ' ἂν θέλοις τὸ πιστὸν ἐμφῦναι φρενί;* dicamus, quorum similis ratio est, cum verba *μόλοι* et *φρενί* e fine singulorum versuum antecedentium temere illata esse Nauckius alii suspicentur.

Ac primum quidem ex eis repetitionum exemplis, quae supra in stichomythiae provincia investigavimus, Sophoclem in mediis versibus saepenumero diverbiorum decursum eo artificio illustrare apparet. Tum eam repetitionem ne in finibus quidem duorum versuum contiguorum, quod *ὁμοιοτέλευτον* grammatici dicunt, ab hoc poëta abhorrere tabula exemplorum facile evincet.

ὁμοιοτέλευτον.

παρόμοιον				*παρονομασία*	
		ἀντίθετον			
oratio continua	sticho-mythia	oratia continua	sticho-mythia	oratio continua	sticho-mythia
		Antigona.			
				1326/7	
		Electra.			
	1218/9 673/6				1211/2
		Oedipus Tyrannus.			
11/12 46/51		777/8 1280/1	550/2		

*) cf. Oedipi filiorum opprobrium v. 448—9.

παρόμοιον				παρονομασία	
		ἀντίθετον			
oratio continua	sticho-mythia	oratio continua	sticho-mythia	oratio continua	sticho-mythia
		Aiax.			
	480/1 112/6			990/1	1140/1
		Philoctetes.			
	1299/1300 651/3 906/9			1268/9 1360/1/9 1393/4	642/3 1244/5
		Trachiniae.			
				614/5	
		Oedipus Coloneus.			
			279/81	70/1 1487/8	

Ex quo conspectu duos versus contiguos et formis verbi *μολεῖν* et nominis *φρήν* a Sophocle concludi potuisse efficitur.*) Iam vero quamnam utriusque vocis flexionem in versibus 71 et 1488 genuinam esse putemus, constituendum est. Qua in causa Sophocles ipse iudex esse potest, qui eas notiones in stichomythia repetitas ad eandem semper aut personam aut rem spectare voluit. Ubicumque enim notio repetita alio vertitur, pronomine id addito significatur: Electr. v. 790—91 (*κεῖνος*), Antig. v. 556—7 (*δ' ἐγὼ*), Elect. v. 796—8 (*τήνδ'*), Phil. v. 651—3 (*τῷ*), v. 1244—5 (*σὺ δ'*); in Oedipi autem Tyr. v. 552 mutatio personae ipsa verbi persona indicatur. Quae cum ita sint, cum et in versu 71 notio verbi *μολεῖν* ad nuntium (*πομπός*) et in versu 1488 notio nominis *φρήν* ad Oedipi mentem (*κατορθοῦντος φρένα*) referatur, in hanc sententiam utrumque vitium *μόλοι* et *φρενί* emendandum esse mihi probatur.

Atque ut a versu 71 incipiam, distinctionem *λέξων ἢ καταρτύσων* nuntii, qui semper aliquid certi referre debet, ineptam esse quis non videt? Itaque iam Elmsleius recte scripsit *ὡς πρὸς τί; λέξον*. Quam emendationem Meinekius recepit. Certera vero verba a Meinekio codice Par. A. duce ita constituta *ἢ καταρτύσων μολεῖν* grammaticae legibus convenirent, si utraque interrogatio *ὡς πρὸς τί;* et *ἢ καταρτύσων μολεῖν* ad nuntium referretur: quod ne fiat, Oedipi, quae sequitur, responsio v. 72 obstat:

ὡς ἂν προσαρκῶν σμικρὰ κερδάνῃ μέγα, subaudi ‚Theseus'. Cum nihilominus in versu 71 nuntii ipsius rationem desideremus, quem affirmare deceat, sese, quidquid Oedipus

*) Inutiles igitur coniecturae sunt Dindorfii v. 71 *παρῇ*, Nauckii v. 1488 *φράσον*.

petierit, perfecturum esse — quod e versu 77 conici non potest — hunc locum ita scribendum esse propono: *ὡς πρὸς τί; λέξον, ὡς καταρτύσων μόλω.* Qua emendatione et haec dubitatio tollitur*) et interrogationis *ὡς πρὸς τί;* (sc. *πεμφθείη ἂν Θησεύς*) Oedipi responsio debitam rationem habet.

Tum versus 1488

τί δ' ἂν θέλοις τὸ πιστὸν ἐμφῦναι φρενὶ; eadem lege, quam supra constituimus, emendandus est. Qua cum notio *φρήν* non ad Thesei sed ad eius mentem, qui hanc voculam in versu antecedente usurpaverat, referri debeat, quin genetivus *φρενός* optimam corruptelae medelam praebeat, dubium non est. Quodsi Nauckium secutus, qui scholiasta duce verbum *ἐμφῆναι* transitivum pro verbo *ἐμφῦναι* restituit, lego *τί δ' ἂν θέλοις τὸ πιστὸν ἐμφῆναι φρενὸς,* huic loco genuinum lumen attulisse mihi videor „welches Geheimnis deines Geistes willst du (ihm) eröffnen?"

Iam vero quaestio nostra ad eos versus provecta est, ubi de eo dictionis Sophocliae artificio, quod *ἀντίθετον* grammatici dicunt, disserendum est: v. 1501

σαφὴς μὲν ἀστῶν, ἐμφανὴς δὲ τοῦ ξένου;

et v. 278—281

ἡγεῖσθε δὲ
βλέπειν μὲν αὐτοὺς πρὸς τὸν εὐσεβῆ βροτῶν,
βλέπειν δὲ πρὸς τοὺς δυσσεβεῖς, φυγὴν δέ του
μήπω γενέσθαι φωτὸς ἀνοσίου βροτῶν

Figura *ἀντιθέτου* in eis artificiis poëtici sermonis est, quae Gorgias, pater artis rhetoricae a poëtis deprompta ad orationem solutam transtulit, ut verba numerose caderent soliquc poëtae cum voluptate audiri desinerent.**) Constat autem ea figura oppositione binarum vel plurium sententiarum, quarum altera cum altera sensu plerumque differt, verborum et ambitu et dispositione, quam maxime potest, congruit. Quam oppositionem quo magis exspectent aures, una notio utriusque sententiae communis eodem utrimque loco infertur. Itaque aliae figurae verborum cum oppositione coniunguntur velut *πάρισον, παρονομασία, παρόμοιον,* quarum species sunt *ἀναφορά, παρήχησις, ὁμοιοτέλευτον.* Simplicius autem oppositionis genus, quod verborum repetitione non amplificatur, paulo infra, ubi de ubertate sententiarum dicemus, explicabitur.

Ac primum quidem versum 1501 *σαφὴς μὲν ἀστῶν, ἐμφανὴς δέ τοῦ ξένου,* quem Nauckius***) ut ineptum uncis

---

*) cf. v. 297—8 et v. 549—50.
**) cf. Cicero, orator. 52, 175, Dionysius H. de Isaeo 19.
***) secutus F.G.Schmidtium in anal. Soph. p. 46.

inclusit, ex eis antitheti exemplis, quae supra collegimus, prorsus genuinum esse apparet. Est enim in eorum numero habendus, in quibus oppositio adnominationis figurā insignita est, cum notio *ἐμφανής* sononymae *σαφής* locum usurpet. Neque vero Schmidtii mutatio *καινὸς* in v. 1500 probanda est, quippe quae aegre ferre Theseum paene significet, quod iterum in scenam auxilio vocetur. Immo optime adiectivum *κοινὸς* a scholiasta *ὑμῶν τε καὶ Οἰδίποδος* intellectum hoc loco exstat, cum Thesei ad aures, si non totum chori carmen v. 149—89, at proximos tamen tres versus 1496 sq. *ὁ γὰρ ξένος σε καὶ πόλισμα καὶ φίλους ἐπαξιοῖ κτλ.* pervenisse putandum sit. Unde hic colligere potuit Oedipum primum illius clamoris auctorem esse, cuius ultimas tantum voces a choro profectas esse audiret.

Sequitur, ut versus 278—81

ἡεῖσθε δὲ
βλέπειν μὲν αὐτοὺς πρὸς τὸν εὐσεβῆ βροτῶν,
βλέπειν δὲ πρὸς τοὺς δυσσεβεῖς, φυγὴν δέ του
μήπω γενέσθαι φωτὸς ἀνοσίου βροτῶν

iniuria a Dindorfio, Nauckio propter repetitiones vocabulorum in suspicionem vocatos esse demonstremus. Atque ut occupem, quod obici possit: in genetivo partitivo *βροτῶν* pendente ab adiectivo positivo nihil reprehensionis inesse haec exempla docent: in Soph. Ai. v. 1358:

τοιοίδε μέντοι φῶτες ἔμπληκτοι βροτῶν,

Phil. 304:

οὐκ ἐνθάδ' οἱ πλοῖ τοῖσι σώφροσιν βροτῶν,

in Eurip. Iph. Aul. 922:

λελογισμένοι γὰρ οἱ τοιοίδ' εἰσὶν βροτῶν,

in Homeri Od. 17, 587 sq.:

οὐ γάρ πού τινες ὧδε καταθνητῶν ἀνθρώπων
ἄνερες ὑβρίζοντες

Quem usum a pronomine indefinito ad numeri notionem proxime accedente usque ad nonnulla adiectiva transiisse facile conicitur.

Est autem hoc loco insigne documentum, semel a Sophocle in Oed. Tyr. v. 549—52 repetitum, antitheti figuras et anaphorae et homoeoteleuti usu interdum numerose comprehensas esse. Cum usus anaphorae quam late apud Sophoclem pateat, adhuc non attigerimus, conspectus exemplorum sequitur, ne quid omittamus, quo ubertas dictionis Sophocliae magis illustretur. Exemplorum autem ratio simillima earum repetitionum est, quae in mediis versibus obveniunt, nisi quod in initiis duorum deinceps versuum oratio eiusdem soni accentu etiam maiorem gravitatem accipit.

ἀναφορά

παρόμοιον					παρονομασία		
excla-mation.	affir-mation.	inter-rogation.	respon. sticho-myth.	ἀντί-θετον	excla-mation.	affir-mation.	respon. sticho-myth.
			Antigona.				
681/2	451/3		522/3			4/5 450/1 952/3 1310/11	447/8
			Electra.				
110/11 1161/2 1361/2	113/4 913/5		390/1	193/4		1171/2	792/3 945/6 1411/2
			Oedipus Tyrannus.				
46/7 1468/9	872/3 1192/3		547/8 549/51	25/6 253/4	1297/8		378/9 1475/6
			Aiax.				
397/8	1226/8	867/8	107/8				811/3
			Philoctetes.				
785/6 987/9	989/90	804/5	755/6			787/8	
			Trachinae.				
846/7 1005/6	950/1 1105/6 1270/1	946/7					239/40 888/9 1129/30
			Oedipus Coloneus.				
106/7 123/4	155/6 1245/6 1292/5	178/9 543/6	645/6	279/80		121/2 210/11 342/3	111/3

Ab uno exemplo Phil. v. 423—4, qui a vocabulis *κεῖνον* et *κεῖνος* incipiunt, consilium poëtae videtur abesse. Reliqua autem exempla computantibus nobis cum Sophoclem haud ita multum fuisse in vocabulis loco pathetico repetitis tum artem eius iis exemplis, quae figura antitheti continentur, summum fastigium attigisse apparet. Eo enim fine ars poëtica videtur a pictura discerni, quod poëtae iisdem verbis iteratis singulas notiones aeque ad binas res sibi oppositas referendas esse quasi oculis subicere affectant. Itaque, quin Sophocles hoc loco non solum initia antitheti sed etiam fines ab iisdem vocabulis petierit, ut deorum numen in omnibus hominibus valere describeret, non est cur dubitemus.

Neque absimilis ratio est versuum 1139—42:

οὔτ᾽ εἴ τι μῆκος τῶν λόγων ἔθου πλέον
τέκνοισι τερφθεὶς τοῖσδε, θαυμάσας ἔχω,

οὔτ' εἰ πρὸ τοὐμοῦ προὔλαβες τὰ τῶνδ' ἔπη.
βάρος γὰρ ἡμᾶς οὐδὲν ἐκ τούτων ἔχει.,

quorum structurae Rassfeldi coniectura v. 1142:

βάρος γ' ἂν ἡμᾶς οὐδὲν ἐκ τούτων ἔχοι

genuinum splendorem restitui iudico. Sophoclem enim hunc ambitum ad versum usque 1142, qui per se satis ieiune cadit, ductum ad legem antitheti descripsisse et pariso*), anaphora, homoeoteleuto figuris exornasse cum aliis locis tum exemplo Oed. Tyr. versuum 549 sq. magnopere comprobatur:

Κ. εἴ τοι νομίζεις κτῆμα τὴν αὐθαδίαν
εἶναί τι τοῦ νοῦ χωρίς, οὐκ ὀρθῶς φρονεῖς,
Ο. εἴ τοι νομίζεις ἄνδρα συγγενῆ κακῶς
δρῶν οὐχ ὑφέξειν τὴν δίκην, οὐκ εὖ φρονεῖς.

Restat, ut de iis versibus pauca disseram, quos, cum aliis locis integri obveniant, interpolatos esse communis est consensio. Namque eum versum, quem codices post v. 769 perhibent *καὶ μάνθανον τὸν θυμὸν ἐκδραμόντα μοι* e versu 438 primus Valckenaerius et versum 1716 *αὖθις ὧδ' ἔρημος ἄπορος* e versu 1736 Reisigius iteratos esse vidit. Cum repetitio integrorum versum ab arte Sophoclis prorsus abhorreat, utro loco hi versus apte collocentur, indagari opus est.

Atque de versu 769[b] facile est iudicium, cuius sententia in versus 438 ambitu optime intellegatur, ubi ea inusitata vocis *θυμός* prosopopoeia appositione *μείζω κολαστὴν τῶν πρὶν ἡμαρτημένων* satis collustratur. Quo lumine cum versus 769[b] careat, eum spurium esse efficitur. Facillime autem ea interpolatio in textum inrepere potuit, quia hoc loco Oedipus idem fere Creonti opprobrio facit, quod supra in filiis conquestus erat.

Utrum vero sententia *αὖθις ὧδ' ἔρημος ἄπορος* in versum 1716 an 1736 interpolata sit, ipsa lex demonstrat, qua, ut metrum stropharum et antistropharum admodum concinat, praescribitur. Cum vero versus 1736 ratio metrica cum antistrophae versu 1749 *ἐλπίδων γάρ ἐς τίν' ἔτι με* tam levi quam speciosa Meinekii emendatione restituto optime conveniat, quin versus 1716 expungendus sit, dubium non est, utpote quo sententiae ac metri concinnitas turbetur. An poëtam, qui scita repetitione notionis *ἔρημος* in vv. 1714 et 1717 (*ἐρήμας*) sortem patris et filiarum simillimam esse indicaverit, ei dictionis venustati importuna sententiae *πότμος ἔρημος* abunduntia potuisse officere putabimus? Lachmannum igitur secuti**) Reisigius, Dindorfius,

---

*) *πάρισον* grammatici eam figuram vocant, qua alterum antitheti membrum ambitu, collocatione, constructione verborum cum altero congruit.

**) cf. libri de chor. system. p. 237.

Meinekius verba *αὖθις ὧδ' ἔρημος ἄπορος* deleverunt, Nauckius, Bellermannus *αὖθις ὧδ'*, Wecklinius *αὖθις* servarunt, unde hos eam interpolationem ortam esse existimare verisimile est. Equidem Lachmannum sequor propterea quod versus strophae 1690, huic loco antistrophae conveniens, facile in suspicionem interpolationis veniret, si ad verba *αὖθις (ὧδ')* (memorem) aliquem grammaticum versum 1736 in margine perscripsisse putaremus; ambitu enim verborum v. 1715 sq. *ὦ τάλαινα, τίς ἄρα με πότμος ἐπιμένει σέ τ', ὦ φίλα, πατρὸς ὧδ' ἐρήμας;* sana et finita sententia continetur. Nec desunt, qui strophae fidem addubitent; velut Dindorfius delet verba v. 1690 *ξυνθανεῖν γεραιῷ*, Nauckius, Wecklinius etiam voces *πατρὶ* et *μέλλων* eiciunt. Atque ut a vocula *μέλλων* incipiam, ea hoc loco vel maxime egemus, ut et proxima Antigonae querela v. 1685—7 (*πῶς . . δύσοιστον ἕξομεν τροφάν;*) a sorore excipiatur et Antigonae laus vitae usque eo peractae v. 1697 sq (*πόθος καὶ κακῶν ἄρ' ἦν τις. . . . ὁπότε γε καὶ τὸν ἐν χεροῖν κατεῖχον.*) in initio sequentis antistrophae apte opponatur. Est enim Sophoclis proprium stropharum concinnitatem non solum metri sed etiam sententiarum symmetria augere, de quo artificio infra plura disseremus. Quod si Ismena v. 1715—17 patre mortuo de vita se futura desperare conqueritur, eandem sortem verbis strophae respondentibus significari nobis comprobatur. Virorum autem doctorum laborem antistrophae lacunae ita indicandae, ut reliqua verba *ὦ τάλαινα, τίς ἄρα με πότμος ἐπιμένει σέ τ', ὦ φίλα πατρὸς ὧδ' ἐρήμας* cum strophae metro congruant, in medio relinquendum esse puto, quod hoc loco nesciendi artem profiteri quam tradita verba gravissime perturbata ex libidine disponere praestat.

β. Quoniam de repetitionibus, quae in Oedipo Coloneo viris doctis ansam suspicionis praebuerunt, satis copiose iudicavi, nunc in alterum ubertatis verborum genus, quod in singulari quorundam vocabulorum vel notione vel coniunctione versatur, inquiremus, ut de his versibus crimen interpolationis removeamus: 1250: *ἀνδρῶν γε μοῦνος, ὦ πάτερ, δι' ὄμματος* 1411—13 *καὶ σφῷν ὁ νῦν ἔπαινος, ὃν κομίζετον τοῖδ' ἀνδρὸς οἷς πονεῖτον, οὐκ ἐλάσσονα ἔτ' ἄλλον οἴσει τῆς ἐμῆς ὑπουργίας.* 1425: *μαντεύμαθ', ὃς σφῷν θάνατον ἐξ ἀμφοῖν θροεῖ;* 1493/4: *ἐναλίῳ Ποσειδαονίῳ θεῷ τυγχάνεις κτλ.*

Quamquam iam veteres*) consentiebant Sophoclem Aeschyli dictionis tumori in exaggerato inauditorum vocabulorum usu

*) cf. Plut. moral. p. 79 B: *ὁ Σοφοκλῆς ἔλεγε τὸν Αἰσχύλου διαπεπαιχὼς ὄγκον κτλ.* Dionys: H. de vett. script. censura 11: *καὶ Σοφοκλῆς μὲν οὐ περιττὸς ἐν τοῖς λόγοις ἀλλ' ἀναγκαῖος.*

conspicuo venusta gravitate moderatum esse, tamen hic de communi poetarum quasi privilegio adeo non derogavit, ut non modo vocabulis nove inventis sermonis thesaurum augeret, sed etiam de usitata nonnullorum vocum notione in suum usum declinaret. Quas voces a Sophacle inventas viri docti Weickerus in progr. gymn. Halis 1863, Jurisius in diss. Halis 1876, Kuenstlerus Jenae 1877, Schindlerus Vratislav. 1877 diligenter congesserunt. Exemplorum autem alterius novitatis, quacum nobis res est, Schmidtius l. l., Wolfius in appendice editionis Aiacis et Electrae, Schambachius in dissertatione, quae inscribitur: „Sophocles, qua ratione vocabulorum significationes mutet atque variet“ Gottingae 1867 et in progr. gymn. Nordhus. 1877 conspectum praebent. In quorum numero etiam vocabula *μοῦνος* v. 1250, *κομίζετον* v. 1411, *ἀμφοῖν* v. 1425, *Ποςειδαονίῳ θεῷ* v. 1493, reponenda esse puto, quae Nauckius alii propter aliquem usus proprietatem interpolata esse censent.

Quodsi v. 1425 pronomen *ἀμφοῖν* notionem *ἀλλήλοιν* nullo simili exemplo firmatam usurpat, non est, cur in eo usu haereamus, cum, quid in tanta tot veterum fabularum iactura Graecorum auribus prorsus inauditum fuerit, nos satis scire non posse confitendum sit.

Adiectivum autem *μοῦνος* v. 1250 cum genetivo discriminis coniunctum vicem praepositionis *ἄνευ* gerere exemplo Ai. v. 511 *εἰ νέας τροφῆς στερηθεὶς σοῦ διοίσεται μόνος* comprobatur. Simillimum adiectivi *ἔρημος* usum animadvertimus in Oed. Col. v. 1718 *πατρός ὧδ' ἐρήμας* et in El. v. 1405 *φίλων ἔρημοι*. Eademque licentia Sophocles El. v. 3 vocem *πρόθυμος* cum genitivo *ὧν* in similitudinem verborum cupiendi pronuntiat.*)

Neque verbum activum *κομίζετον* v. 1411 pro usitato medio dici est cur miremur, si poëtam idem in aliis verbis novasse reputamus velut in v. 6 Oed. Col. *φέρειν*, v. 769 Ai: *τοὐτ' ἐπισπάσειν κλέος*, v. 1037 *μηχανᾶν*, v. 80 Trach. *τοῦτον ἄρας ἆθλον*, 255 *διώμοσεν*.**)

Neque vero verba v. 1494 *ἐναλίῳ Ποσειδαονίῳ θεῷ* a Sophocle videntur aliena esse. Nempe hic a notione vocis *θεός* magis remota (Gottheit) profectus, quae aetate Periclis sensim invalescebat,***) cum appellativo *θεός* adjectivum de nomime *Ποσειδάων* derivatum coniunxit. Cum qua licentia dictionis Nauckius, Wecklinius, Bellermannus non recte, ut opinor, verba v. 1105 Oed. Tyr. *ὁ Βακχεῖος θεός* composuerunt. Cuius dei, qui a Latinis sane volgo Bacchus dicitur, apud

---

*) cf. Kruegeri poet. synt. 47, 26, 7.
**) cf. Schambachii diss. § 3, de activo pro medio posito.
***) cf. Herodot II, 53; L. Schmidt, die Ethik der alten Griechen I, p. 52.

Graecos antiquum et proprium nomen *Διόνυσος* est, quum vox *βάκχος* proprie cultorem dei significet, postea demum ad ipsum translata. *Ὁ Βακχεῖος θεὸς* igitur est deus, quem bacchi et bacchae colunt; similiter Oed. Col. v. 678 *ὁ βακχιώτας Διόνυσος* dicitur; potuerunt autem interpretes illum locum afferre, si Sophocles *ὁ Διονύσιος θεός* scripsisset. Ceterum absolutae in hac antistropha concinnitatis restituendae conatus Wecklinii et Bellermanni omittendos esse puto, cum tres primi versus aliis iisque gravissimis corruptelis inquinatos esse et metri strophici discrepantia et lacuna post verba *ἐπὶ γύαλον* in libris coorta satis doceat.

b. Ubertas sententiarum.

Ut in verbis huius fabulae ita in sententiis abundantiam quamdam viri docti interpolatori deberi putaverunt. Tria autem sententiarum ubertatis genera suspicionis causas praebuerunt, quorum uno simplex aliqua notio duplici ratione illustratur, altero, dictionis ornatus laudibus aliorum scriptorum amplificatur, tertio res inanimes vel sentientes vel agentes inducuntur.

α. Simplex notio duplici ratione illustratur.

Atque ut inde proficiscar, quo repetitionum quaestio apte continuetur: Sophoclem uni notioni a duabus vel pluribus partibus lumen afferri inprimis delectatum esse vel inde apparet, quod in antithetis eam notionem repetit, quam ad singula figurae membra spectare vult, velut in v. 141 Oed. Col. *δεινὸς μὲν ὁρᾶν, δεινὸς δὲ κλύειν.* Multus etiam in eius antitheti usu Sophocles est, quo quae affirmative dicta sunt, eadem contrariae notionis negatione illustrantur et vice versa.*) Qua in figura poëtae non tam interest binas notiones inter se admodum opponi — quae ratio antitheti et genuina est et latissime patet — sed unam sententiam numerosa distinctione adumbrari. Quo loco de versibus 521 sq.:

> *ἤνεγκον κακότατ᾽, ὦ ξένοι, ἤνεγκον ἄκων μέν, θεὸς ἴστω·*
> *τούτων δ᾽ αὐθαίρετον οὐδέν*

et 1604—5:

> *ἐπεί δὲ παντὸς εἶχε δρῶντος ἡδονήν,*
> *κοὐκ ἦν ἔτ᾽ οὐδὲν ἀργὸν ὧν ἐφίετο,*

iudicandum erit. Eodem autem perspicuitatis consilio ductus poëta binas vel plures notiones coniunctionibus copulativis aut disiunctivis conligat, quarum altera alteram aliquo modo ampli-

*) Lobecki Ai. p. 211, Schmidt. Neustrelitz. gymn. pr. p. 17.

ficat et illustrat, ut mera tautologia nullo exemplo deprehendatur. Quorum in numero sunt v. 1011:

καλῶν ἱκνοῦμαι καὶ κατασκήπτω λιταῖς

et v. 1523:

μήθ᾽ οὗ κέκευθε μήτ᾽ ἐν οἷς κεῖται τόποις

a viris doctis vexati.

Exemplorum descriptioni etiam notiones asyndeto consociatas, quae mihi occurrebant, adieci, quo melius, quantopere haec sententiarum ubertas apud Sophoclem vigeat, conspiciatur.

asyndet.	coniunct. disiunctivae	coni. copulativae	notiones affirmative et negative expressae
		Antigona.	
1071 1268	9 12 17 250 239 686 1269	9 405 406 536/7	
		Electra.	
	131/2 606/7 766/7	17/9 131 175 362 804 1122 1159	131 222 527 929 1078/9 1284
		Oedipus Tyrannus.	
691 1284	1370	218 470 1351 1425 1446	58 956 1018 1152 1277/8 1289
		Aiax.	
464 896 710	107 119/20 130 128/9 176/7	31 145 139 274 288 415 814 1061	676 665
		Philoctetes.	
11 482 484/5 787/8 828/9 860 930 981 1018	563 682 946	468/9 581 638 644 752 766 878 926 978 1030 1228	31 205/7 771 953 1030 1256 1275
		Trachiniae.	
787 1063 1255		191 364 869 990/1 1169 1200 1258	225/6 1062 1132
		Oedipus Coloneus.	
	1/2 211 300 425/6 429 731 777	285 425 435 449 467 547 1042/3	172 359/60 502 913/4 1129 1621/2

Eis igitur exemplis, in quibus duae notiones particulis aut disiunctivis aut copulativis sociatae sunt, ut altera alteram illustret, adnumerandi sunt versus 1011:

καλῶν ἱκνοῦμαι καὶ κατασκήπτω λιταῖς

et versus 1523:

μήθ᾽ οὗ κέκευθε μήτ᾽ ἐν οἷς κεῖται τόποις,

quorum huic Herwerdenus anal. crit. p. 13 illi Nauckius notam suam apposuit. Neque parvi momenti est in hac quaestione, quis loquatur aut qua in condicione loquatur. Etenim cum Oedipus insolentiam Creontis gravioribus verbis refutaverit, v. 1011 sollemniore prece deas in auxilium vocat.*) Ubertas autem, quae inest in v. 1523, quantopere intersit tumulum Oedipi latere, apte depingit. Tautologiam vero, quam in his verbis contineri Elmsleius in add. ad Eurip. Bacch. v. 61 opinatur, nullam esse Reisigius in enarratione h. f. p. 184 demonstrat. Neque iure Elmsleium et A. Schoellium**) in eo haesitasse, quod hic versus vix conciliari posset cum vv. 1590 sq. et 1645 sq., unde ad ipsum obitus Oedipi locum non modo Theseum verum etiam Oedipi filias Theseique famulos pervenisse constaret, G. Hermannus in adnot. h. v. bene exponit. Ceterum mihi hoc loco non omittendum videtur esse eandem artem poëticam, quae Oedipum in ipsa scena obire vetuerit, ut nuntius et ultimos filiarum amplexus et mirabilem senis exitum uberius paulo enarret, summopere flagitare.

Similis autem indolis, sunt v. 1042—3:

ὄναιο, Θησεῦ, τοῦ τε γενναίου χάριν
καὶ τῆς πρὸς ἡμᾶς ἐνδίκου προμηθίας.

Ubi, cum verbum *ὄναιο* fere cum simplici aliquo genetivo velut *τῆς ἀρετῆς* vel, quod Eurip. Iph. Aul. v. 1359 praebet, *τῶν φρενῶν,* aliis coniungatur, Sophocles, ne tam longa genetivorum series *τοῦ τε γενναίου καὶ τῆς πρὸς ἡμᾶς ἐνδίκου προμηθίας* in suspenso videatur haerere, perspicuitatis causa praepositionem *χάριν* apponit, quam Blaydesius et Nauckius tollere non debebant.

Reliquum est, ut etiam v. 521—2:

ἤνεγκον κακότατ', ὦ ξένοι ἤνεγκον ἄκων μέν, θεὸς ἴστω·
τούτων δ' αὐθαίρετον οὐδέν.

et v. 1604—5: *ἐπεὶ δὲ παντὸς εἶχε δρῶντος ἡδονὴν*
κοὐκ ἦν ἔτ' οὐδὲν ἀργὸν ὧν ἐφίετο,

ad Sophocliam artem vindicemus.

Res autem est facillima, cum tot exempla doceant***) a Sophocle haud raro affirmativam notionem contrarii negatione confirmari. Quod ubertatis genus hunc e studio carminum Homeri in suum usum transtulisse Eustathius probabiliter conicit,

---

*) cf. Oed. Tyr. v. 1446 *καὶ σοί γ' ἐπισκήπτω τε καὶ προστρέψομαι,* ubi similis obsecratio composito magis usitato *ἐπισκήπτω* amplificatur.

**) in philologi vol. XXVI.

***) cf. tabulam nostram p. 17.

qui p. 645, 16 verba Iliadis l. VI v. 333 *κατ' αἶσαν οὐδ' ὑπὲρ αἶσαν* sic explicat: *ἐπιμονὴν ὁ λόγος ἔχει τὴν κατ' ἦθος ἀληθευτικὴν· καὶ ὅτι ὅμοιον καὶ παρὰ τῷ φιλομήρῳ Σοφοκλεῖ τό· γνῶτα κοὐκ ἄγνωτά μοι καὶ τό· ἡδὺς οὐδὲ μητρὶ δυσχερής.*

Neque eo quidem loco parvi momenti est, quod v. 1604—5 in narratione nuntii continentur, quod hominum genus, ut humiliore loco natum, a veteribus poëtis aliqua loquacitate praeditum inducebatur, ut varietate sermonis acerrima cothurni tragici contentio interdum permutaretur.*)

Sententia vero v. 521—2 „Oedipum invitum scelera commisisse" praeter artificiosum antitheti ornatum etiam aliis locis huius fabulae comprobatur, velut v. 240, *ἔργων ἀκόντων ἀΐοντες αὐδάν,* v. 964 *συμφοράς, ἃς ἐγὼ τάλας ἤνεγκον ἄκων,* v. 977 *ἆκον πρᾶγμ',* v. 987 *ἐγὼ δέ νιν ἄκων ἔγημα φθέγγομαί τ' ἄκων τάδε.* Nihilo minus autem tradita verba *ἤνεγκον ἄκων* emendatione egent metro versus 510 strophici cogente, quem omni vitio carere mox videbimus. Itaque Martinus in syll. var. in Soph. trag. lect. Halis. 1822 p. 674 coniectura palmari *ἤνεγκ' ἀέκων* omnem huic loco maculam abstersit.**) Vanae autem sunt reliquorum criticorum coniecturae, cum lectio *ἑκὼν μὲν* non solum cum illis locis pugnet, ubi Oedipus invitum se facinora patrasse repetierit, sed etiam illi sententiarum ubertati, qua id, quod affirmando poëta protulerit, negatione contrarii illustret, mire obficiat; ut non moneam, quam cum Oedipi gravitate non conveniat tali sententia *ἑκὼν οὐχ ἑκών* a Wecklinio inlata memoriam facinorum verborum lusu irridere.

β. Laudes aliorum scriptorum.

Quo vero iniuria a Nauckio sanus strophae versus 510 *δεινὸν μὲν τὸ πάλαι κείμενον ἤδη κακόν, ὦ ξεῖν', ἐπεγείρειν* affectus sit, iam dilucidius apparebit, cum de altero sententiarum ubertatis genere, quod in aliorum scriptorum laudibus versatur, disseremus. Eodemque loco de versibus 337—343:

ὦ πάντ' ἐκείνω τοῖς ἐν Αἰγύπτῳ νόμοις
φύσιν κατεικασθέντε καὶ βίου τροφάς·
ἐκεῖ γὰρ οἱ μὲν ἄρσενες κατὰ στέγας
θακοῦσιν ἱστουργοῦντες, αἱ δὲ σύννομοι
τἄξω βίου τροφεῖα πορσύνουσ' ἀεί.
σφῷν δ', ὦ τέκν', κτλ.

---

*) cf. Cic. orat. 31, 109; Dionys. H. de cens. vet. scr. II, 11; Longin. *περὶ ὕψους* 33.

**) Bellermannus hanc emendationem bene in ordinem verborum recepit.

et de versu 552: *τὰς αἱματηρὰς ὀμμάτων διαφθορὰς* iudicium feremus.

Offenditur autem Nauckius, quod in versu 510 sententiae communis in Theognidis eleg. 423 *πολλάκι γὰρ τὸ κακὸν κατακείμενον ἔνδον ἄμεινον* obviae significatio appareat, et v. 552 ei ex Eurip. Phoen. v. 870 memoria *αἵ θ' αἱματωποὶ δεργμάτων διαφθοραί* confictus videatur esse. Meinekius vero versus 337—343 ex Herodoti l. 2, 35 importuna interpolatoris sedulitate expressos esse censet, quocum Maehlius et Nauckius consentiunt.

Priusquam ad singula adgrediamur, quam late apud Sophoclem et sententiarum communium campus et laus vetustiorum poëtarum pateat, paucis verbis monere mihi liceat. Copiosius autem ea de re egerunt Schubertus, qui in progr. gymn. Prag. 1868 p. 14—15 sententias communes Sophoclis collegit, Lechnerus, qui in progr. gymn. Erlang. 1859 „de Sophocle poëta *Ὁμηρικωτάτῳ*“ p. 13 sententias ex Homeri carminibus expressas et p. 29 sq., quos locos Homericos Sophocles ipse diligenter exscripserit, componit, Hemmerlingus*) in eodem argumento versatus, Sophocles quo iure Homeri imitator dicatur, quaerit, Classenus**) enumerat, quid ex auctoritate Herodoti ad hunc poëtam redundasse putet. Licet enim a nostro sensu abhorreat poëtam non ubique ipsius ingenio inflatum scribere: tragicis Graecis id saepenumero accidisse non est cur miremur, quia eis epicorum carmina una cum argumentis fabularum sententiarum copiam suppeditabant.

Itaque Sophocles ubertatem sententiarum ex eis fontibus auxit, qui cuivis tum Atheniensi maxime noti erant: ex Homero, communi omnis artis poëticae patre, unde hunc Eustathius *φιλόμηρον****) et *ζηλωτήν*†) *Ὁμήρου* saepius appellat, ex epico qui dicitur cyclo††), e locupletissimo proverbiorum thesauro Solonis, Theognidis aliorum carminibus amplificato. Ubicumque vero Sophocles sententias aliunde sumit, elegantia utitur et cuique loco ac condicioni eas ita adaptat, ut alienae esse desinant.

Itaque sententia v. 510 *δεινὸν μὲν τὸ πάλαι κείμενον ἤδη κακόν, ὦ ξεῖν', ἐπεγείρειν*, quamvis Theognideum morem sapiat, condicioni Oedipi optime convenit. Quid? quod Nauckius ipse mira inconstantia ad Ant. v. 620 adnotat laudes proverbiorum aut vetustiorum poëtarum a tragoedia alienas non esse

*) in progr. gymn. cath. Colon. 1869.

**) Verhandl. der 27. Versamml. deutsch. Phil. Kiel 1869 p. 109—16.

***) p. 198, 4; 645, 16.

†) p. 514, 45; 1083, 17.

††) cf. Athen. VII p. 277 *E ἔχαιρε δ' ὁ Σοφοκλῆς τῷ ἐπικῷ κύκλῳ.*

et Antig. v. 707—9 e Theognidis el. 221, Ant. v. 720 ex Hesiodi op. v. 293, Ai. v. 678 sq. e Biante, Oed. Col. v. 1224 e carmine vetusto*) haustos esse concedit?

Neque vero est, cur versum 552:

τὰς αἱματηρὰς ὀμμάτων διαφθοράς

cum Nauckio expungamus. Namque Euripidius versus Phoen. 870 *αἵ θ' αἱματωποὶ δεργμάτων διαφθοραί,* unde eum confictum esse hic homo doctus putat, cum eo praeter unam vocem *διαφθοραί* discrepans ita interpolationis opinionem non confirmat, ut eo diram oculorum mutilationem cum nomine Oedipi veterum Graecorum in ore coniunctam fuisse edoceamur. Ac recte Petersius in progr. Heiligenst. 1869, Heimsoethus in ind. lect. h. 1874 Bonn. p. X, Wecklinius p. 130 monent eo loco de certis cognoscendi notis agi, quibus demptis verba *πολλῶν ἀκούων* nihil habere, quo referantur. Ne vero nostro sensu ducti, quid veteribus hominibus concessum fuerit, diiudicemus, a quibus nihil humani alienum fuit, aut duram in ipsa allocutione Thesei commemorationem illius mali exprobremus, quod primo obtutu animum regis commovit**) et cuius ipse Oedipus saepenumero facit mentionem v. 1, v. 21, v. 299, v. 378.

Iniuria autem mihi viri docti nonnullarum sententiarum auctoritatem ab Herodoto, amico Sophoclis, repetere videntur, propterea quod eas Sophocles — duobus locis Antig. v. 904 sq. et Oed. Col. v. 337—41 exceptis — suo Marte invenire poterat, et quod tam antiquis temporibus singulae literarum disciplinae adeo inter se disiunctae erant, ut poëtam eumque tragicum rerum scriptori quidquam surripuisse minime probabile sit. Velut Nauckius Ant. v. 720—23 *φήμ' ἔγωγε πρεσβεύειν πολὺ φῦναι τὸν ἄνδρα πάντ' ἐπιστήμης πλέων· εἰ δ' οὖν, φιλεῖ γὰρ τοῦτο μὴ ταύτῃ ῥέπειν, καὶ τῶν λεγόντων εὖ καλὸν τὸ μανθάνειν* recte quidem cum Herodoti verbis confert 7, 26 *ἴσον ἐκεῖνο παρ' ἐμοὶ κέκριται φρονέειν τε εὖ καὶ τῷ λέγοντι χρηστὰ ἐθέλειν πείθεσθαι,* nisi quod et Herodoti et Sophoclis animo Hesiodi illud obversatum esse puto op. 293 sq.:

οὗτος μὲν πανάριστος, ὃς αὐτὸς πάντα νοήσῃ,
ἐσθλὸς δ' αὖ καὶ κεῖνος, ὃς εὖ εἴποντι πίθηται.

Neque Classenus l. l. Herodotum saepius in Sophoclis fabulis indagari posse mihi persuasit. Etenim Trach. v. 1—3:

Λόγος μέν ἔστ' ἀρχαῖος ἀνθρώπων φανεὶς
ὡς οὐκ ἂν αἰῶν' ἐκμάθοις βροτῶν, πρὶν ἂν
θάνῃ τις, οὔτ' εἰ χρηστὸς οὔτ' εἴ τῳ κακός·

---

*) cf. Stob. floril. 120, 3.

**) cf. v. 555 *τὸ δύστηνον κάρα.*

et Oed. Tyr. v. 1528—30:

ὥστε θνητὸν ὄντα κείνην τὴν τελευταίαν ἰδεῖν
ἡμέραν ἐπισκοποῦντα, μηδέν᾽ ὀλβίζειν, πρὶν ἂν
τέρμα τοῦ βίου περάσῃ μηδὲν ἀλγεινὸν παθών.

auctoritate Herodoti 1, 32 non egent: *σκοπέειν χρὴ παντὸς χρήματος τὴν τελευτὴν κῇ ἀποβήσεται· πολλοῖσι γὰρ δὴ ὑποδέξας ὄλβον ὁ θεὸς προρρίζους ἀνέτρεψεν,* cum vetus illud Solonis dictum Athenis pervulgatum fuerit. Quid? quod et versus Oed. Col. 1224—27 et Herodoti sententia 7, 46 ex uno proverbiorum fonte hausta esse videntur?*) Neque vero inest in vv. El. 62—64**) aut in Oed. Tyr. v. 385—389 aut in El. v. 417 sq., cur Sophoclem Herodoti locis 4, 95 aut 3, 61 aut 1, 108 usum esse existimemus. Amicitiam igitur, quam inter poëtam et scriptorem fuisse carmen Sophoclis testatur***), ab aequali utriusque animi ratione†) repetendam esse neque tantum valuisse putabimus, ut alter poëtarum consuetudinem egressus alterius narrationes in fabulas suas inferret.

Quae cum ita sint, cum Sophoclem in laudibus proverbiorum et vestustiorum poëtarum id semper egisse, ne quid afferret, quod *ἀπροσδιόνυσον* esset, et ex Herodoti scriptis ubertatem sententiarum non auxisse demonstraverimus, duos locos a criticis vel maxime vexatos Antig. v. 904 sq. et Oed. Col. v. 337 sq. a scito aliquo interpolatore ad similitudinem Herodoti expressos esse facile nobis comprobabitur.

Atque Antigonae versus ex Herodoti narratione 3, 119 confictos esse primus A. Jacobus vidit, quocum plerique viri docti hodie consentiunt adversantibus Kirchhoffio et Classeno, Oedipi autem Col. versus 337—343, quos A. Schoellius l. l. ex Herodoti verbis††) 2, 35 ortos esse vidit, Meinekius uncis inclusit Maehlio et Nauckio probantibus. Neque vero ea in re totum me habet assentientem, cum modo v. 337—341 interpolatos esse existimem. Licet enim in verborum usu et orationis structura Meinekius Sophocliam rationem iniuria desideret, ex iis, quae de laudibus alienarum sententiarum praemisimus, tam expressam Herodotei loci commemorationem a Sophocle, sagaci illo cuiusque personae ac status existimatore, prorsus abhorrerre satis apparet. Quem enim hoc loco non offendat, quod tota

---

*) Stobaei floril. 120, 3 *ἀρχὴν μὲν μὴ φῦναι ἐπιχθονίοισιν ἄριστον φύντα δ᾽ ὅπως ὤκιστα πύλας Ἀΐδαο περῆσαι.*

**) cf. Nauckii adnotationem.

***) cf. Plutarch. moral. p. 785 B.

†) cf. Aristoph. ran. v. 82.

††) *ἐν τοῖσι* (scl. *Αἰγυπτίοις*) *αἱ μὲν γυναῖκες ἀγοράζουσι καὶ καπηλεύουσι, οἱ δὲ ἄνδρες κατ᾽ οἴκους ἐόντες ὑφαίνουσι.*

ista absurda Aegyptiorum commemoratio cum gravitate Oedipi quam maxime pugnet, quae eam ignorationem, in quo tum filii statu sint, ad septem usque versus redundare vetat. Itaque Sophocles satis habuit versibus 342—3 Oedipum Thebis filios pigros morari opinantem inducere, quo maiore laude filiarum de ipso merita extollat. Idemque interpolator post vocem *σφῷν* (v. 342) particulam *δ'* addidisse videtur, ut oratio apte procederet. Meinekius vero eiectis versibus 342—3 non modo discrimen, quod inter filios filiasque intercedit anaphora verborum *σφῷν* et *σφὼ* non inani auctum valde debilitat, sed etiam eam sententiam delet, quae ansam praebuit interpolatori versuum 337—341, ut id auctoritate Herodoti amplificaret, quod Oedipus de filiabus iterum praedicaturus esset v. 445 sq.:

ἐκ ταῖνδε δ' οὔσαιν παρθένοιν, ὅσον φύσις
δίδωσιν αὐταῖν, καὶ τροφὰς ἔχω βίου κτλ.

et v. 1367—8:

νῦν δ' αἵδε μ' ἐκσῴζουσιν, αἵδ' ἐμαὶ τροφοί,
αἵδ' ἄνδρες, οὐ γυναῖκες, εἰς τὸ συμπονεῖν.

Ergo genuina Oedipi oratio sic incipit: v. 342:

σφῷν, ὦ τέκν', οὓς μὲν κτλ.

γ. Res inanimes vel agentes vel sentientes inducuntur.

Iam venimus ad tertium sententiarum ubertatis genus, quod Nauckius in versibus 890:

οὗ χάριν δεῦρ' ἦξα θᾶσσον ἢ καθ' ἡδονὴν ποδός.

v. 658 sq.: *πολλαὶ δ' ἀπειλαὶ πολλὰ δὴ μάτην ἔπη*
θυμῷ κατηπείλησαν·

v. 1281—2: *τὰ πολλὰ γάρ τοι ῥήματ' ἢ τέρψαντά τι*
ἢ δυσχεράναντ' ἢ κατοικτίσαντά πως,
παρέσχε φωνὴν τοῖς ἀφωνήτοις τινά.

a Sophocle abhorrere contendit, cum ista nominum *πούς, ἀπειλαί, ῥήματα* quae dicitur personificatio non ferenda sit. Nullo autem, ut opinor, iure. Id enim apud omnes poëtas usu venit, ut res inanimes vel sentientes vel agentes inducantur. Quod quo melius intellegamus, a circumlocutionibus videtur repetendum esse, quibus poëtae inde ab Homero sermonem ornatiorem reddiderunt. Earum autem ratio duplex est: aut enim pro simplici personae nomine aliqua eius pars genetivo personae additur aut nomine ab aliqua personae ratione derivato circumlocutio efficitur. Velut Sophocles, ut personam significet, interdum his nominibus utitur: *σῶμα* O. C. v. 355; *κάρα* O. C. 321, 1657, O. T. 40, 1207, Ant. 1; *χείρ* O. C. 1102; *ὄμμα* O. C. 245, Ai. 140; *πούς* O. T. 878, Ant. 619, Phil. 1260, 1202; abstractis his: *ὄνομα* O. C. 1003; *σθένος* Trach. 498, 507; *φάσμα* Trach. 508, *εἴδωλον* (*δέμας*) O. C. 110; *κήδευμα* O. T. 85.

Cum in circumlocutionibus id membrum corporis aut ea proprietas prematur, qua quis eo in statu maxime egeat, in personificatione poëta altius progressus relatione personae omissa ista membra humani corporis eiusque facultates ipsarum personarum vices gerere vult. Atque membrorum personificationes apud Sophoclem hasce indagavi: *κάρα* O. C. 750, 1631, El. 1164 pietatis causa, *θρίξ* El. 451 supplex, *στόμα* O. C. 794 adveniens, *χείρ* O. C. 1639 caeca, O. T. 811 caedens, El. 1378 supplex, Ant. 43 agens inducitur. Nec desunt exempla, quae in vocem *πούς* proprietates personae transire demonstrent: ut O. C. v. 182 *κῶλον* Oedipi caecum vocatur et Ai. in versu 247 *ποδοῖν κλοπὰν ἀρέσθαι* exstat. Itaque non est, cur in hac personificatione v. 890 offendamus:

οὐ χάριν δεῦρ᾽ ἦξα θᾶσσον ἢ καθ᾽ ἡδονὴν ποδός.

Multae etiam abstractorum nominum sunt prosopopoeiae, velut *ἔργα* OC. 266; *γάμος* OT. 1215, 1403; *εὐναί* El. 93; *νυμφεῖα* Ant. 568; *ὕπνος* Ai. 675; *πήματα* El. 258—60; *χάρις* Trach. 522; *εὐσέβεια* Phil. 1443; tum *δέμας* fragilitatem hominis OC. 501, 576, 1550, *ὄνομα* OC. 265, 306, 667, *τιμαὶ* Ai. 670 dignitatem significant. In primis autem Graecis, quidquid voce homines pronuntiarent, ipsorum hominum speciem exprimere visum esse ex Homero apparet, qui famam (*Ὄσσαν*) numine divino afficit*) et verba appellat *πτερόεντα*. Nec non Athenienses ea verborum prosopopoeia valde delectatos esse Aristophanis nubes docent, ubi *λόγος δίκαιος* et *λόγος ἄδικος* personarum partes susceperunt. Itaque in fabulis Sophoclis *φάτις* Phil. 1046, Ai. 173, *βάξις* Ai. 998, *μαντεῖα* OT. 482, *φθέγμα* OC. 863, *προσφώνημα* OC. 325, 891, *γνώμη* Phil. 1360—1, *ξυμφορὰ βουλευμάτων* OT. 45, *θυμός* OC. 438, 954, qui verbis iracundis fertur, hominum vices gerunt. Cui consuetudini condonandum esse puto, quod Sophocles in v. 658 minas minantes et v. 1281 verba animos hominum flectentia facit, quorum alter locus dilucida notionum *ἢ τέρψαντά τι ἢ δυσχεράναντ᾽ ἢ κατοικτίσαντα* distinctione alter parechesi literae *π***) adversarii impetum scite depingente vel maxime commendatur.

Quae cum ita sint, Sophoclem ne ab ea quidem poëtarum consuetudine alienum esse, qua ipsa rerum natura animata***) esse et, quae homines aut agant aut patiantur, intellegere videtur,

---

*) cf. Il. *β* 93; Od. *β* 216, *ω* 413.

**) Jacobius l. l. aliis locis huius fabulae literae *π* crebriorem repetitionem aliquid dolorosi habere non recte existimat, cum vv. OC. 14, 117, 135, 178, 361, 544, 1099, 1107 eo artificio animus aut laetitia et amore aut ira et dolore commotus significetur.

***) cf. Lehrs. populäre Aufs. 2. ed. p. 111 sq.

nonnullis exemplis mihi liceat docere: *χρόνος* OT. 1214, Ai. 646—7; *ἡμέρα* Ai. 131—2; *νύξ* Trach. 94—95; *τόπος* Ai. 859 sq. 869, 420, OT. 1391, Trach. 993, Phil. 1085; *ὁδός* OC. 113, OT. 1398, Ai. 738; *πόλις* OC. 760; Ai. 459; *πλάτα* OC. 717, *ζυγόν* Ai. 249; *σφαγεύς* Ai. 822, *γένυς* El. 485.

§ 2. B. De symmetria dictionis Sophocliae.

Cum Sophoclem in ubertate dictionis elegantem esse nec quidquam inepte moliri viderimus, iam in altera paragrapho quaestio ad eos locos describendos progrediatur, qui symmetria dictionis iudice aut interpretandi aut emendandi sunt. Utraque laude ubertatis et symmetriae metrorum numerus amplificatur, quo maiore voluptate fabula audiatur, sed sua id ratione efficitur. Cum ubertas ad ornatum verborum ac singularum sententiarum spectet, symmetria in sententiis inter se ponderatis ac comprehensis versatur. Duplex autem eius artis genus a nobis in iudicium vocabitur, quorum alterum aequali aequalium sententiarum ambitu, alterum repetitione sententiarum continetur.

a. Symmetria in aequali aequalium sententiarum ambitu conspicitur.

Cuius symmetriae speciem genuinam strophica chori carmina suppeditant, quorum strophae ne antistropharum suarum aequalem versuum numerum excederent, lege erat sanctum. Quodsi stropham aliquam uno vel pluribus versibus longiorem esse quam suam antistropham invenimus, textum aliquo modo corruptum esse patet. Velut huius fabulae v. 1747:

A. ναὶ ναί. X. ξύμφημι κα͗ὐτός

in stropha nihil habet, cui respondeat. Duplex autem in tali quaestione iudicio via est: aut enim in stropha excidisse versum, qui huic responderet, aut eum, qui numerum stropha praescriptum excederet, interpolatum esse probandum est. Nec non de versu 1747 doctorum virorum sententia fluctuat, cum Hermannus, Meinekius lacunam post strophae versum 1733 indicaverint, Dindorfius vero, Nauckius, Wecklinius, Bellermannus de interpolatione (v. 1747) consentiant. Equidem maiori eorum parti adstipulatus verba *ναὶ ναί. ξύμφημι κα͗ὐτός* eicienda esse puto, quia neque stropha ulla sententiarum amplificatione eget, et ea v. 1747 languida ac paene anili interiectione querelarum impetus inepte coercetur, quem Antigona verbis, quae sequuntur (v. 1748 sq.), quasi cumulo auctura est.

Cum a carminibus chori, quae in honorem Bacchi canebantur,

tragoediam Graecam originem duxisse constet*), quod artem eorum ac structuram in sermonum oeconomia nonnunquam expressas invenimus, cur miremur, non est. Primus autem G. Hermannus in elementis doctr. metr. III, c. 20 responsionem metrorum in diverbiis animadvertit, neque tamen eum usum certis finibus circumscripsit. Mox complures viri docti eum secuti magnam sermonum partem symmetrica versuum repartitione singulis personis distribuere atque etiam singulas orationes certi cuiusdam numeri legibus obnoxias esse evincere studuerunt: Velut Heilandus in progr. gymn. Stendal. 1855, O. Ribbeckus „über die symmetrische Composition in der antiken Poesie“ in novo museo Helevet. 1861, p. 213—242, alii**). Sed ii viri poëtarum ingenia haud scio an nimium despexerint, cum eos carmina sua ad spinosiora numerorum schemata adaptavisse opinarentur; quod vero in nonnullis diverbiis, ut absolutam symmetriam constituerent, traditorum verborum fidem temptaverunt, non est ferendum. Symmetriam quamdam in diverbiis componendis a Sophocle non alienam esse ipse quoque concedo. Neque vero eam certo versuum ordine contineri, sed sensu modo ductum poëtam binas vel complures eiusdem ponderis sententias aequali fere ambitu circumscripsisse contendo. Nimirum numeri sensus cum omnium poëtarum***) tum Graecorum communis est. Graecorum enim ingenia, aequalium Periclis, Athenarum monumentis omnium artium ornatarum conspectu vel maxime cognitione harmoniae imbuta fuisse quis est, quin concedat?†)

Huc referendum videtur esse, quod Sophocles *ἰσοκώλων* artificiis quorum exempla in tabulis pp. 5 sq., 8, 12, 17 obveniunt, tantopere delectatus sit, huc, alterum illud symmetriae genus, quod in fine comprehensionis sententiarum interdum exordium repetitur, ut forma ipsa concinnitasque verborum quasi orbem conficiat, huc denique, quod poëta non solum in canticis chori sed etiam in ipsis diverbiis, ubicunque aequabilis personarum affectio concessit, numerorum aequabilitate usus est.

Sed, ut eo revertar, unde haec omnis de symmetria quaestio profecta est: a strophicis chori carminibus, quae certis numerorum

---

*) cf. Aristot. poet. p. 1449 a 5 sq.: *γενομένης οὖν ἀπ' ἀρχῆς αὐτοσχεδιαστικῆς καὶ αὐτὴ* (sc. *ἡ τραγῳδία*) *καὶ ἡ κωμῳδία καὶ ἡ μὲν ἀπὸ τῶν ἐξαρχόντων τὸν διθύραμβον, κτλ.*

**) Wecklinii opusculum „über symmetrische Anordnung des Dialogs und die Stichomythie bei Sophocles“ in act. philol. Wirceburgi 1868 mihi praesto non fuisse valde doleo.

***) Conferas Goetthii Faust. I, scen. 1 v. 13—16 = 17—20, v. 57—60 = 61—64 alias, ubi binae sententiae sibi aliquo modo oppositae aequali versuum numero exprimuntur.

†) cf. Brunn, in mus. rhen. vol. V, p. 321 (nov. ser.) „über Parallelismus in der Composition altgriechischer Kunstwerke“.

legibus obnoxia sunt, diverbiorum alicuius symmetriae proximam speciem esse repetendam consentaneum est.

Manifesto autem trimetrorum strophica responsio intellegitur in eis diverbiis, quae canticis chori implicata sunt, velut in El. vv. 1232—1287, Ai. v. 348—429, 880—973, ubi tamen ultima Tecmessae oratio aequalem versuum numerum paullo excedit. Nec non in totis scenis cum canticis chori non cohaerentibus sermones ad numerum quendam referri possunt, velut Ant. vv. 531—581 et vv. 631—765; Ai. vv. 1040—1167. Quid? quod strophicorum responsionem ad singulas usque diverbii orationes ornandas valuisse non uno exemplo evincitur?

Sed priusquam ad hanc sermonum symmetriam interpolationum iudicium revocemus, de usitata sententiarum structura in ipsis strophicis carminibus nonnulla videntur praefinienda esse, ut OC. versus 1054—5:

ἔνθ᾽ οἶμαι τὸν ἐγρεμάχαν
Θησέα καὶ τὰς διστόλους
ἀδμῆτας ἀδελφὰς

et, qui eis in antistropha respondent v. 1068:

(πᾶσα δ᾽ ὁρμᾶται κατὰ)
ἄμπυκτήρια φάλαρα πώλων
ἄμβασις κτλ.,

si fieri possit, emendemus.

Atque argumentum canticorum singulis strophis et antistrophis multifariam explicari potest, prout agitur aut de sententiis communibus aut de affectibus aut de rebus aut de personis. Omnino autem poëta id prospicit, ut strophae non solum metri ratione sed etiam apta sententiarum dispositione*) antistropha respondeat.

Ut unam personarum in canticis mentionem premam: Sophocles saepe singularum personarum vel etiam partium condiciones singulis strophis absolvit. Velut huius fabulae in stropha *α* v. 1556 sq. Pluto et Proserpina, in antistropha *α* v. 1567 sq. reliqui inferi dei implorantur; in Aiacis stropha *β* v. 624 matris, in antistropha *β* patris luctum chorus conqueritnr; Antigonam chorus in str. *α* v. 944 Danaae in antistr. *α* v. 955 sq. Lycurgi sortium communione consolatur; Electrae stropha *α* v. 1058 sq. Chrysothemis opprobrium, antistropha *α* v. 1070 virtutis Electrae species continetur.

---

*) Non recte igitur Jacobus in diss., quam scripsit de aequali strophae et antistrophae in tragoediae Graecae canticis conformatione Berol. 1866, § 5 contendit: Sophoclem repetitione verborum ac sententiarum responsionis aequalitatem non amplificasse; immovero ne ab his artificiis quidem Sophocles alienus est, quamquam Aeschyli ea in re

Quod si ita est, iniuria Hermannus, Nauckius alii, ut turbatam metri rationem in hac stropha et antistropha restituant, verba strophae *Θησέα καί* interpolata esse arbitrati lacuna varie expleta vocem *ἐγρεμάχαν* de incolis Coloni intellegunt. Primum enim, si poëtae, ut numero singulari certe numerosam Thesei manum comprehendat, concedamus: quod in antistrophae v. 1065 sq.: *δεινὸς ὁ προσχώρων Ἄρης* pluralis numeri usu parum sibi constiterit, offendere debemus. Deinde num Theseum, qui v. 1038 sq. ipsius sanguine incolumitatem filiarum praestiterit, quemque Antigona ipsa v. 1103 sq. et v. 1117 sq. prae Colonensibus et eius satellitibus servatorem nominet, (eum, dico) a choro carmine non concelebratum esse putabimus? Immo, ut stropha Thesei laudes, satellitum antistropha contineantur, et res ipsa et ea sententiarum concinnitas, quam supra in carminibus Sophoclis strophicis indagavimus, summopere expostulat. Neque vero particula *καί* emendatione eget, cuius vim ‚etiam'*) esse Spengelius**) recte monuit. Itaque in irritum cadit Wecklinii coniectura *παῖδας*, a Bellermanno recepta, quae non solum ex articuli *τάς* omissione sed etiam ex inepta synonymorum cumulatione mire claudicat.

Quae cum ita sint, origo vitii in antistropha videtur indaganda esse, ubi verba v. 1068—9 *ὁρμᾶται κατ' ἀμπυκτήρια* sensu carent. Desideratur enim verbum, unde pendeat vox *ἀμπυκτήρια*, ut frenis remissis equites ruere dicantur. G. vero Hermanni coniectura *χαλῶσ'* pro *κατά* et Meinekii *χαλᾷ τ'* propterea displicent, quod neglegentiae notio, quae inest in verbo *χαλᾶν****), a satellitibus eo tempore prorsus abesse debet. Itaque Schneidewini emendationem *καθεῖσ'* amplectendam esse puto, ut frena remittere *ἄμβασις* dicatur. Vocem autem *φάλαρα* e margine irrepsisse Hesychii glossa *ἀμπυκτήρια· τὰ φάλαρα Σοφοκλῆς Οἰδίποδι ἐν Κολωνῷ* docet. Verborum, quae restant, *ἀμπυκτήρια πώλων* metrum versui 1054:

ἔνθ' οἶμαι τὸν ἐγρεμάχαν

---

tumorem diffluentem, ut par erat, sapienter coercuit. Conferas repetitiones verborum in initio carminum Oed. T. v. 1321 et 1313, Ai: 348 et 356, 394 et 412, Ant: 1261 et 1284, 1271 et 1294, (1306 et 1329, 1310 et 1332). Phil.: 201 et 210, 1081 et 1101, (1123 et 1146), in mediis carminibus: El. 827 et 840, 829 et 842, OT. 1316 et 1324. OC. (842 et 885), 1047 et 1062 (*ἤ*) Ai: 372 et 387, 694 et 707, 891 et 937, 900 et 946, Ant.: 1267 et 1290, 1276 et 1300 (1265 et 1288) in fine carminum: OC. 1456 et 1471. El. 136 et 152. De repetitionibus sententiarum videbimus paullo infra.

*) cf. eandem notionem in verbis *ὧν καὶ κτλ.* v. 1051.

**) in Philol. vol. XIX, p. 445.

***) velut *χαλᾷν δεσμά* cf. Eurip. Androm. v. 578, Aesch. Prom. v. 993.

exaequari posse Dindorfius desperavit. Meinekii autem coniectura ἀμπυκτήρια πωλικὰ ἄμβασις, ipso hiatu suspecta, mihi reicienda videtur esse, quod Sophoclem in hac ipsius dimicationis descriptione equitum bis mentionem fecisse (verbis πᾶς γὰρ ἀστράπτει χαλινός, πᾶσα δ᾽ ὁρμᾶται χαλᾷ τ᾽ ἀμπυκτήρια πωλικὰ ἄμβασις) aurigis prorsus omissis, ut putem, adduci non possum. Immo etiam aurigas victoriae participes poëtam fecisse inde mihi probatur, quod versu 1062 (πώλοισιν ἢ ῥιμφαρμάτοις) et equites et aurigae versibusque 1070—1073 utrorumque patroni Neptunus et Minerva significantur. Quod desiderium emendatione καθεῖσ᾽ ἀμπυκτήρι᾽ ἀφ᾽ ἁρμάτων apte expletur, qua etiam scholiastae adnotatio illustratur: τὸ ἑξῆς· πᾶσα δ᾽ ὁρμᾶται ἄμβασις; nempe ea verba appositione καθεῖσ᾽ ἀφ᾽ ἁρμάτων ἀμπυκτήρια seiunguntur.

Postquam antistrophae textum constituimus, restat, ut strophici versus 1054 vocem ἐγρεμάχαν interpolatam esse doceamus. Cuius vitii vestigia scholiastae verba demonstrant: γρ. ὀρειβάταν, οἱονεὶ τὸν διὰ τῶν ὀρῶν βαίνοντα, unde genuinam lectionem ὀρειβάταν*), scribae codicis L. A. neglegentia obliteratam, a libro Parisino servatam esse cognoscitur. Atque ut omittam ἐγρεμάχαν, usitatum Athenae attributum, in Theseum quadrare non posse, qui ad pugnam a satellitibus iam antea incohatam se contulerit: vocis ὀρειβάταν, quae antistrophae metro admodum convenit, optimus locus est, ubi tam perfecta campi descriptio praemittitur.

Itaque legi volo v. 1053 sq. Εὐμολπιδᾶν.

ἔνθ᾽ οἶμαι τὸν ὀρειβάταν
Θησέα καὶ τὰς διστόλους κατλ.

quibus respondent v. 1068 sq.: ὁρμᾶται καθεῖσ᾽

ἀμπυκτήρι᾽ ἀφ᾽ ἁρμάτων
ἄμβασις, οἳ τὰν ἱππίαν κτλ.

Quae strophicorum carminum concinnitas usque ad sermones valuisse videtur, ut in singulis personarum orationibus non nunquam aequales sententiae, si non plane aequali, at certe fere aequali versuum ambitu inter se perponderentur. Etenim cum strophae sententia autistrophae gravitate plerumque exaequaretur, quid concinnius esse potuit, quam similia sententiarum paria, si in orationibus occurrerent, eadem symmetriae lege adstringere? Quam saepe enim in singulis strophis singuli homines inter se conferuntur aut eius sententiae, quam stropha obiter adumbravit, antistropha expressam speciem proponit! Simillimae igitur in sermonibus symmetriae duo potissimum genera sunt,

---

*) a Meinekio eam in adnot. probatam esse video.

quorum altero una aliqua sententia vel singularum personarum condicio duplici ratione illustratur, altero binarum vel complurium personarum condiciones depinguntur.

α. Singularum sententiarum vel personarum duplex ratio aequabili versuum comprehensione describitur.

In Oedipo Coloneo: v. 607—615 tempore mutantur omnia, v. 616 — 623 tempore etiam amicitiae Thesei Thebarumque mutari possunt.
v. 761—782 importuna Creontis officia repudiantur,
v. 783—799 arcana cius consilia retunguntur.
v. 1354—1369 culpa }
v. 1370—1388 poena } Polynicis continetur.

In Oed. Tyr. —

In Aiace: v. 550—564 Eurysaci valedicit,
v. 565—577 choro eum commendat Aias.
v. 1006—1020 neque domi
v. 1021—1035 neque Troiae Teucer acceptus est.

In Antigona: v. 639—660*) Haemonem patri obsequi oportere
v. 661—680 rerum civilium exemplo comprobatur.
v. 683—704 Antigonae facinus excusat,
v. 705—723 indulgentiam ei vindicat Haemon.

In Electra: v. 431 — 447 quid Chrysothemin facere vetet,
v. 448—463 quid eam facere inbeat Antigona, exponitur.

In Trachiniis: v. 5—26 quae sua sors ante nuptias,
v. 27—45 qualis post nuptias fuerit, Deianira narrat.

In Philocteta: v. 54—69 quo dolo Philoctetam fallat,
v. 70—85 cur eum fallere debeat, Neoptolemus docetur.

β. Binarum vel complurium personarum aequalis condicio, aut quae ei contraria est, aequali versuum numero demonstratur. Velut spectant

Oed. Col. v. 345—352 ad Antignae, v. 353—360 ad Ismenae laudes; v. 374—376 ad Eteoclis, v. 377—381 ad Polynicis facinora; v. 442—444 ad filiorum culpam, v. 445—447 ad filiarum laudes; v. 1256—1263 ad Oedipi miseriem, v. 1164—1270 ad Polynicis culpam;

Oed. Tyr. v. 224—232 ad parricidam notum, v. 233—243 ad ignotum, v. 267—269 ad peregrinum, v. 270—272 ad domesticum.

Aias. —

Antig. v. 50—52 patris, v. 53—54 matris,
v. 55—57 fratrum interitum deplorat Antigona.

El. v. 38—50 quas paedagogus partes,
v. 51—66 quas Orestes et Pylades suscipiant, exponitur.

---

*) cf. Meineke, Beiträge zur philolog. Kritik der Antigone p. 24 sq.

Trach. —

Phil. v. 1421—1432 quae Philoctetam, v. 1433—1444 quae Neoptolemum fortuna maneat, Hercules vaticinatur.

Eadem autem symmetria Oed. Col. versus 969 — 977 et v. 978—987 compositi videntur esse, quam quin tollat, Nauckius non recusat, exclusis versibus 982—984 vel etiam 980—987:

οἵους ἐρῶ τάχ᾽· οὐ γὰρ οὖν σιγήσομαι, κτλ.

Fugit enim hunc virum, quam concinne Sophocles Oedipum duo illa Creontis opprobria parricidii et matris conubii refutantem faciat. Qua in causa dicenda versus 966—968 exordii locum tenent, quos cum parricidii refutatio novem versus 969 — 977 continens excipiat, alterum et aeque detestabile crimen conubii decem versibus 978—987 defenditur. Denique versuum 988—990 recapitulatione facta Oedipus perorat.

Quid iam Nauckius de conubio matris, de quo Oedipus se dicturum esse v. 980 promiserit, nihil dici conqueritur? An illud nihil est, quod hic mira inconstantia eicere vult v. 982 sq.:

ἔτικτε γάρ μ᾽ ἔτικτεν, ὤμοι μοι κακῶν,
οὐκ εἰδότ᾽ οὐκ εἰδυῖα· καὶ τεκοῦσά με,
αὑτῆς ὄνειδος παῖδας ἐξέφυσέ μοι.?

An potest enarratio vel potius exclamatio inveniri, qua melius, quo tum Oedipus animo fuerit, illustretur, quam cum sententiam „matrem in matrimonium duxi“ magnitudine flagitii occupatus, ut protinus enuntiet, a se adeo non impetrat, ut eam hac participiorum reticentia *οὐκ εἰδότ᾽ οὐκ εἰδυῖα**) tantummodo significet? Notione autem *ὄνειδος* inprimis filiorum impietatem iam supra v. 418 sq., 427 sq., 441 sq. notatam et ipsis Creontis verbis v. 945—6 confirmatam, siquidem recte dativum *τέκνοις***) restitui, *οὐδ᾽ ὅτῳ γάμοι*

ξύνοντες ηὑρέθησαν ἀνόσιοι τέκνοις,

ab Oedipo peti consentaneum est. Quibus argumentis vel gravissimum accedit, cur hanc orationis symmetriam versibus deletis turbari nefas sit, quod eadem fere sententia in finibus singularum argumenti partium repetitur, v. 977:

πῶς ἂν τό γ᾽ ἆκον πρᾶγμ᾽ ἂν εἰκότως ψέγοις;

et v. 987. (*ἐγὼ δέ νιν*)

ἄκων ἔγημα φθέγγομαί τ᾽ ἄκων τάδε.

De qua symmetriae specie nunc, si placebit, plura disseremus.

---

*) subaudi: me ipsam in matrimonium ducturum esse.
**) de quo loco infra dicendum erit.

b. Alterum symmetriae genus est, quod repetitione sententiarum efficitur.

Quo loco in iudicium venient v. 458:

πρὸς ταῖσδε ταῖς σεμναῖσι δημούχοις θεαῖς

v. 1713 ἰώ, γᾶς ἐπὶ ξένας θανεῖν ἔχρῃζες, ἀλλ'

v. 614—615: τοῖς μὲν γὰρ ἤδη, τοῖς δ' ἐν ὑστέρῳ χρόνῳ
τὰ τερπνὰ πικρὰ γίγνεται καὖθις φίλα.

v. 780 ἆρ' ἂν ματαίου τῆσδ' ἂν ἡδονῆς τύχοις;

Repetitio eiusdem sententiae ita non paupertatem ingeni demonstrat, ut in venustatibus sermonis haberi possit, dummodo suo ea loco inferatur. Cuius artificii originem haud scio an recte a carminibus chori duxerim, unde omnis fere trimetrorum symmetria videtur fluxisse. Namque in carminibus chori Sophoclis proprium invenitur, sententiam aliquam, unde prima stropha exordiatur, haud raro in exitu totius stasimi repetere, ut aequalem chori affectum toto carmine expressum esse etiam auribus percipiamus. Quae repetitio cum neque in locis metri necessitudine inter se coniunctis obveniat et interdum singulis tantum vocabulis significetur, minime molesta fit, sed in luminibus artis Sophocliae numeranda est. Itaque redit sententia

Oed. Col. versus 711 ad versum 668, v. 204 ad v. 117, v. 1575—6 ad v. 1560.

Oed. Tyr. v. 204 ad v. 154, v. 691, ad v. 661 v. 1223 ad v. 1186—1194, 1365 ad v. 1318.

Ai. v. 195 ad v. 137, v' 1216 ad v. 1185.

Ant. v. 148 ad v. 100, v. 800 ad v. 781, v. 876 ad v. 806, v. 1150 ad v. 1115.

El. v. 120 ad v. 86, v. 235 ad v. 121, v. 1285 ad v. 1233.

Tr. v. 132 ad v. 94.

Phil. v. 855 ad v. 827 sq., v. 1161 ad v. 1094.

Eeodemque artificio Sophocles in sermonibus usus interdum singulas orationes iisdem sententiis initio et in fine repetitis apte et finite comprehendit. Velut respicit Oed. Col. versus 282 ad versum 260, v. 382 sq. ad v. 365, v. 666 ad v. 656, v. 757 sq. ad v. 735 sq., v. 798—9 ad v. 763—4, v. 932—3 ad v. 897 sq., v. 1201 ad v. 1181.

Oed. Tyr. v. 13 ad v. 2, v. 274 ad v. 223 v. 723—5 ad v. 707—9, v. 1513—4 ad v. 1479.

Ai. v. 32 ad v. 20, v. 578 ad v. 545, v. 780 sq. ad v. 748 sq., v. 1089 ad v. 1062—3, v. 1184 ad v. 1170, v. 1344 sq. ad v. 1332—1335.

Ant. v. 207 sq. ad v. 175 sq., v. 310 ad v. 295, v. 678 sq. ad v. 648 sq.

El. v. 366 ad v. 341, v. 551 ad v. 518, v. 655 ad v. 637, v. 1014 ad v. 998, v. 1319 ad v. 1301.

Tr. v. 468 sq. ad v. 436—7. v. 371 ad v. 351, v. 1111 ad v. 1047.

Phil. —

Neque vero desunt exempla, ubi totarum scenarum decursus primariis quibusdam sententiis raro repetitis illustratur et quasi vinculo quodam devincitur. Velut Electrae v. 22 *Παιδ: ἵν᾽ οὐκέτ᾽ ὀκνεῖν καιρός, ἀλλ᾽ ἔργων ἀκμή.*, quo spectant Orestis verba v. 75 sq.: *καιρὸς γάρ, ὅσπερ ἀνδράσι μέγιστος ἔργου παντός ἐστ᾽ ἐπιστάτης.* Tum Clytaemnestrae verbis 518: *μή τοι θυραίαν γ᾽ οὖσαν αἰσχύνειν φίλους·*

et v. 550 sq.: *εἰ δὲ σοὶ δοκῶ φρονεῖν κακῶς,*
γνώμην δικαίαν σχοῦσα, τοὺς πέλας ψέγε.

respondent Electrae versus 608—9:

εἰ γὰρ πέφυγα τῶνδε τῶν ἔργων ἴδρις,
σχεδόν τι τὴν σὴν οὐ καταισχύνω φύσιν.

In Oedipo Tyranno conferas Oedipi verba v. 11 sq.:

ὡς θέλοντος ἂν
ἐμοῦ προσαρκεῖν πᾶν· δυσάλγητος γὰρ ἂν
εἴην, τοίανδε μὴ οὐ κατοικτείρων ἕδραν.

cum v. 76—7: *τηνικαῦτ᾽ ἐγὼ κακὸς*
μὴ δρῶν ἂν εἴην πάνθ᾽ ὅσ᾽ ἂν δηλοῖ θεός.

cum v. 145: *ὡς πᾶν ἐμοῦ δράσοντος·*

Ex Philocteta afferri licet v. 961—2:

ὄλοιο-μήπω, πρὶν μάθοιμ᾽ εἰ καὶ πάλιν
γνώμην μετοίσεις· εἰ δὲ μή, θάνοις κακῶς.

v. 1019: *ὄλοιο· καί σοι πολλάκις τόδ᾽ ηὐξάμην.*

v. 1043—4: *ὡς ζῶ μὲν οἰκτρῶς, εἰ δ᾽ ἴδοιμ᾽ ὀλωλότας*
τούτους, δοκοῖμ᾽ ἂν τῆς νόσου πεφευγέναι.

Oedipi autem Col. v. 458:

πρὸς ταῖσδε ταῖς σεμναῖσι δημούχοις θεαῖς,

quem Meinekius, Schenkelius in philol. v. XVII, p. 230 sq., A. Nauckius, si abesset, non desiderarent, eiusdem indolis esse facile est ad demonstrandum. Ac primum quidem, ut textum constituamus, verbo satis erit monere perversam Laur. A. lectionem *πρὸς ταῖσι ταῖς* Meinekii emendatione *πρὸς ταῖσδε ταῖς* optime sanatam esse, qui in adnotatione coniecturas Dindorfii et Nauckii recte refutavit. Tum Schenkelii et Nauckii opinionem Eumenides aegre laturas fuisse, si eo versu cum Oedipo heroe inferiore componerentur, prorsus futilem esse Bellermannus, ut par est, notavit. In omnibus enim rebus humanis

non modo deorum numine sed etiam auxilio hominum opus est. Denique, quod Schenkelius, cur deleat hunc versum, affert inveniri eundem dicendi usum etiam in versibus 1348 *ἄνδρες τῆσδε δημοῦχοι χϑονὸς,* 1612 *γᾶς τῆσδε δαμούχοις,* maiore nos iure, ut etiam hunc versum Sophocli vindicemus, adducit. Huc accedit, quod versu 458 necessarium totius scenae vinculum continetur. Meminimus enim versibus 282 sq.:

ξὺν οἷς σὺ μὴ κάλυπτε τὰς εὐδαίμονας

ἔργοις Ἀϑήνας κτλ, Oedipum dixisse, si Colonenses ipsum supplicem deorum auctoritate in tutelam recepturi essent, fore ut maximo cives emolumento afficerentur. Nec non inerat in precibus v. 285 *ῥύου με κἀκφύλασσε* futuri periculi quasi praesagium, quod paullo post adventu nuntioque Ismenae confirmatur. Oedipus igitur, postquam filiae respondit, ad chorum, unde digressus erat, rediens sententiam versuum 282 sq. his verbis iterum excipit v. 457 sq.:

ἐὰν γὰρ ὑμεῖς, ὦ ξένοι, ϑέλητέ μου
πρὸς ταῖσδε ταῖς σεμναῖσι δημούχοις ϑεαῖς
ἀλκὴν ποιεῖσϑαι κτλ.,

ut auxilium suum deorum auctoritate amplificatum iri doceat. Reliquum est, ut iisdem verbis lustrationis narrationem, quae insequitur, optime praeparari commemoremus, ne quidquam absit, quo versum 458 genuinum esse magis illustretur.

Quam sententiarum repetitionem plurimum ad progressum totius fabulae expediendum valere vidimus: quid mirum, si Sophocles etiam singulas alicuius stasimi strophas et eas sermonis partes, quarum numerum ad strophicam responsionem accedere docuimus, eodem lumine interdum illustravit? Velut in singulis strophis excipitur sententia

Ai. versuum 137 sq: *σὲ δ' ὅταν πληγὴ Διὸς ἢ ζαμενὴς*
λόγος ἐκ Δαναῶν κακόϑρους ἐπιβῇ κτλ.

vv. 164 sq.: *ὑπὸ τοιούτων ἀνδρῶν ϑορυβεῖ.*

Oed. Tyr. — v. 884 sq. v. 895.

Ant. v. 1347 *πολλῷ τὸ φρονεῖν κτλ.*

v. 1352 *γήρᾳ τὸ φρονεῖν ἐδίδαξεν.*

El. v. 505 *πολύπονος ἱππεία,*

v. 515 *πολύπονος αἰκία.*

Tr. v. 831 *εἰ γάρ σφε Κενταύρου φονίᾳ νεφέλᾳ*

v. 840 *φόνια δολιόμυϑα κέντρ' ἐπιζέσαντα.*

Phil. v. 135 sq.: *τί χρή, τί χρή με, δέσποτ'*
ἐν ξένᾳ ξένον στέγειν ἢ τί λέγειν πρὸς
ἄνδρ' ὑπόπταν; φράζε μοι.

v. 142 sq.: *τό μοι ἔννεπε,*
τί σοι χρεὼν ὑπουργεῖν;

Oed. Col. v. 117 *ὅρα· τίς ἄρ' ἦν; ποῦ ναίει;*
v. 137 *γνῶναι ποῦ μοί ποτε ναίει.*

Quod si ita est, quin versus 1713:

ἰώ, μὴ γᾶς ἐπὶ ξένας θανεῖν ἔχρῃζες, ἀλλ'

non ab interpolatore e versu 1704 sq.:

ἇς ἔχρῃζε γᾶς ἐπὶ ξένας

ἔθανε repetitus, ut Dindorfius putat, sed eodem versu duce scribendus sit*) omissa vocula *μὴ*

ἰώ, γᾶς ἐπὶ ξένας θανεῖν ἔχρῃζες, ἀλλ'

dubitari non potest.**)

Velut etiam in orationum partibus numerose compositarum eadem fere sententia infertur Ant. v. 705—6:

μή νυν ἓν ἦθος μοῦνον ἐν σαυτῷ φόρει,
ὡς φῂς σύ, κοὐδὲν ἄλλο, τοῦτ' ὀρθῶς ἔχειν.

et v. 723 *καὶ τῶν λεγόντων εὖ καλὸν τὸ μανθάνειν.*

El. 431—2: *ἀλλ' ὦ, φίλη, τούτων μὲν ὧν ἔχεις χεροῖν*
τύμβῳ προσάψῃς μηδέν· οὐ γάρ σοι θέμις

et v. 446—7: *ἆρα μὴ δοκεῖς*
λυτήρι' αὐτῇ ταῦτα τοῦ φόνου φέρειν;
οὐκ ἔστιν.

OC. v. 966 sq.: *ἐπεὶ καθ' αὑτόν γ' οὐκ ἂν ἐξεύροις ἐμοὶ*
ἁμαρτίας ὄνειδος οὐδὲν . . et

v. 977: *πῶς ἂν τό γ' ἆκον πρᾶγμ' ἂν εἰκότως ψέγοις;*

tum v. 1372 sq.: *οὐ γὰρ ἔσθ' ὅπως πόλιν*
κείνην ἐρείψεις, ἀλλὰ πρόσθεν αἵματι
πεσεῖ μιανθεὶς χὠ σύναιμος ἐξ ἴσου.
τοιάσδ' ἀρὰς κτλ.

---

*) cum Nauckio.

**) Neque ver(s)o solum singulae strophae repetitione sententiarum insignitae sunt, sed in argumento stasimorum multifariam explicato aliqua sententia variis locis denuo excipi potest, velut: OT: str. *α* v. 154 et ant. *α* v. 162, antistr. *α* v. 159 et ant. *β* v. 187, ant. *α* v. 161—2 et ant. *γ* v. 203—8, str. *α* v. 863 sq. et ant *α* v. 882, str. *β* v. 895—6 et ant. *β* v. 909—10, antistr. *α* 1195 sq. et antistr. *β* v. 1222. Ai.: str. *β* v. 367 et ant. *β* v. 382. Ant.: str. *β* v. 614 et ant. *β* v. 625. El.: str. *β* v. 162 sq. et ant. *β* v. 181 sq. Tr.: — Phil.: str. v. 837 ant. v. 852. OC: str. v. 1456 et ant. v. 1471, str. *α* 1044 sq. str. *β* 1074 sq. Attende autem ea repetitione, cum in locis metri necessitudine inter se coniunctis vel maxime obveniat, concinnitatem stropharum a poëta de industria auctam esse.

Quibus exemplis asseritur repetitio in sermonibus numerose compositis, qua fines singularum orationis partium concinne circumscribuntur, Velut: Ant. 660: *ἄκοσμα θρέψω, κάρτα τοὺς ἔξω γένους.* 677: *οὕτως ἀμυντέ' ἐστὶ τοῖς κοσμουμένοις* . . . OC. v. 977: *πῶς ἂν τὸ γ' ἆκον πρᾶγμ' ἂν εἰκότως ψέγοις*; v. 987: *ἄκων ἔγημα φθέγγομαί τ' ἄκων τάδε.*

et 1385 sq.: *μήτε γῆς ἐμφυλίου*
δόρει κρατῆσαι μήτε νοστῆσαί ποτε
τὸ κοῖλον Ἄργος, ἀλλὰ συγγενεῖ χερὶ
θανεῖν κτανεῖν θ' ὑφ' οὗπερ ἐξελήλασαι.
τοιαῦτ' ἀρῶμαι κτλ.

Similis autem est ratio versuum Nauckio iniuria suspectorum 614—615:

τοῖς μὲν γὰρ ἤδη, τοῖς δ' ἐν ὑστέρῳ χρόνῳ
τὰ τερπνὰ πικρὰ γίγνεται καὖθις φίλα.

et v. 780: *ἆρ' ἂν ματαίου τῆσδ' ἂν ἡδονῆς τύχοις;*
qui utrique sententiam remotiorem concludunt.

Versibus enim 607—615, ut iam supra monui, sententia communis, tempore omnia mutari, pronuntiatur, quam e versibus 610—611 minime claudicare Spengelius acute demonstrat.*) Quo in verborum ambitu versibus 614—615 non solum quidquid e sententia remotiore v. 609 *τὰ δ' ἄλλα συγχεῖ πάνθ' ὁ παγκρατὴς χρόνος* consequitur, dilucide exprimitur, sed etiam vinculum eius sententiae, quae huius rerum status propria est, remotiorisque necessarium continetur. Namque Oedipus verbis *τὰ τερπνὰ πικρὰ γίγνεται κτλ.* Thesei interrogationem v. 606 *καὶ πῶς γένοιτ' ἂν τἀμὰ κἀκείνων πικρά;* scite petens versu 616 *καὶ ταῖσι Θήβαις κτλ.* ad rem redit et discordias etiam inter Thebas Athenasque intercedere posse demonstrat.

Eadem iniuria Nauckius versum 780 affecit, quo item non solum mera consecutio condicionis v. 776—779 praemissae infertur, sed etiam initium huius orationis petitur et interrogationi v. 763: *τί ταῦτα πειρᾷ κἀμὲ δεύτερον θέλεις*
ἑλεῖν, ἐν οἷς μάλιστ' ἂν ἀλγοίην ἁλούς;
vana et irrita Creontis officia esse tecte respondetur.

Ex quo exemplorum conspectu Sophoclem, ne nimiis artificiis ingeni impetum coerceat, haud ita multum esse in sententiis sermonum quasi strophica responsione inter se exornatis et laude vitae scriptoris *οἶδε καιρὸν συμμετρῆσαι καὶ πράγματα* dignissimum esse satis apparet.

Pars II.

Interpolationum quaestiones ad oeconomiam fabulae revocantur.

Quoniam in priore parte huius opusculi expositum est, quid sermo Sophoclius aut suum vindicet aut ab hoc poëta alienum

*) cf. Philol. v. XIX, p. 438.

esse demonstret, nunc, si placebit, oeconomiam totius fabulae in iudicium vocabimus, ut primum e natura ac ratione argumenti tum e personarum condicione ac moribus interpolationum quaestiones disceptentur.

§ 3. A. Ex argumenti ratione ac natura, sitne locus genuinus necne, concluditur.

Ac primum quidem, (a) num, quae ad rerum publicarum rationes spectant in Oedipo Coloneo, interpolatori tribuenda sint, tum (b), quantum fabulae actio ac progressus ad interpolationum causas valeat diiudicandas, explicabimus.

a. Non defuerunt viri docti, qui alterius hypothesis [1]) verbis nixi eos locos fabulae, quibus laudes Thebarum continerentur, inprimis versus 919—923:

καίτοι σε Θῆβαί γ᾽ οὐκ ἐπαίδευσαν κακόν·
οὐ γὰρ φιλοῦσιν ἄνδρας ἐκδίκους τρέφειν,
οὐδ᾽ ἄν σ᾽ ἐπαινέσειαν, εἰ πυθοίατο
συλῶντα τἀμὰ καὶ τὰ τῶν θεῶν, βίᾳ
ἄγοντα φωτῶν ἀθλίων ἱκτήρια.

retractatori alicui tribuerent, cum Sophocles ipse, qui bello Peloponnesiaco flagrante Oedipum Coloneum scriberet, tantas laudes Thebanis, Spartanorum sociis, vindicare adeo nollet, ut genuino fabulae contextui odii Thebanorum manifesta indicia immisceret. Quam opinionem Thierschius [2]), C. F. Hermannus [3]), G. Hermannus [4]), Wecklinius [5]) amplexi sunt. A. vero Schoellius [6]), cuius argumentis Nauckius [7]) adsentitur, ab Iophonte, filio Sophoclis totam fabulam ita conversam esse demonstrasse sibi videtur, ut unum praeclarum illud stasimum v. 668—719 intactum relinqueretur. Nimirum ii viri praeeunte Lachmanno [8]) Sophoclem in Oedipo Coloneo scribendo res publicas attigisse statuunt. Quae opinio neque aliarum fabularum Sophoclis exemplo nec veterum hominum testimoniis [9]) fulcitur. Itaque Schneidewinus [10])

---

1) *Τὸν ἐπὶ Κολωνῷ Οἰδίπουν ἐπὶ τετελευτηκότι τῷ πάππῳ Σοφοκλῆς ὁ υἱδοῦς ἐδίδαξεν, κτλ.*

2) in actis philol. Monac. I, p. 328.

3) in quaest. Oedipod. Marburgi 1837.

4) in ed praef. p. XIV.

5) l. l. p. 169.

6) in philol. vol. XXVI.

7) in praef. ed. p. 29 sq.

8) in mus. Rhen. 1827 „über die Absicht und Zeit des Sophokleischen Oed. auf Col., quem sequitur Kotekus in progr. gymn. Leontii 1875 „historisches in den Tragödien des Sophokles."

9) conferas scholiastae adnotationem v. 619 *τὰ νῦν ξύμφωνα· οὔπω γὰρ ἦν ἔχθρα Θηβαίοις καὶ Ἀθηναίοις.*

10) in exordio ed. III, p. 27.

bene monet: „Die Wahrheit ist und bleibt, dass Sophocles seine Dichtung lediglich für die darin handelnden Personen der Heroenzeit dichtete. Einzelne Anspielungen auf gegenwärtige Verhältnisse sollen damit nicht geläugnet werden. Er hat dem Oedipus Coloneus, wie dem Ajax, ein ideales patriotisches Interesse gegeben, ohne damit ausserhalb der Poesie liegende politische Zwecke zu verfolgen.“ Forsitan Sophocles carminibus praeclarissimis v. 668[1]) sq. et v. 1044 sq. civibus bello occupatis et patriae roboris et virtutis ducum fidem facere voluerit aut de illo oraculo a scholiasta ad versum 57 commemorato[2]) cogitaverit, cum Oedipum cladem Thebanorum praedicentem inducat, quam eos re vera accepisse schol. Aristid. p. 560[3]) testis est.

Ceterum eo consilio poetam hanc fabulam conscripisse siquis existimabit, ut Oedipum, cuius fortunam in Oedipo rege prorsus eversam, in Antigona ad liberos usque redundasse docuisset, cum diis tandem reconciliatum perpetua quiete atque honore fruentem faceret, a vero mihi proxime abesse videbitur.[4]) Quidquid vero illi viri in fabulis Sophoclis ad res publicas referendum esse opinantur, nihil inde efficitur nisi a poëta tragoediarum heroes eis moribus praeditos fictos esse, qui[5]) a sensu Atheniensium magni belli aequalium communi quam minime recederent.

Ergo omissa publicarum rerum ratione Bellermannus[6]) ex ipso fabulae argumento intellegi posse, cur Thebas Oedipus odio, laudibus Theseus prosequatur, bene demonstrat. Quid enim omnino Theseus haberet, cur Thebanis irasceretur, cum quorum rege usque eo hospitii vinculo coniunctus fuisset? An potuit poëta Atheniensem optime moratum melius depingere, quam si eius ipsius nihil interesse appareret[7]) recepto in terram

---

[1]) Cuius stasimi versibus 699 et 702 scholiasta haud scio an recte Archidamum et Xerxem significari coniecerit. Neque vero argumentum totius fabulae turbari, si Sophocles eo carminis ornatu non recusaverit, quin cum Athenarum opes tum amoenitatem pagi, ex quo oriundus esset, immortalitati commendaret, facile concesseris. cf. argument. I *ὁ Σοφοκλῆς ἐποίησε χαριζόμενος οὐ μόνον τῇ πατρίδι ἀλλὰ καὶ τῷ ἑαυτοῦ δήμῳ· ἦν γὰρ Κολωνῆθεν.*

[2]) *Βοιωτοὶ δ᾽ ἵπποιο ποτιστείχουσι Κολωνόν, ἔνθα λίθος τρικάρανος ἔχει καὶ χάλκεος οὖδος.*

[3]) *στρατευσάντων δέ ποτε Θηβαίων κατὰ Ἀθηναίων ἐπιφαίνεται Οἰδίπους Ἀθηναίοις, κελεύων αὐτοὺς ἀντιπαρατάξασθαι Θηβαίοις θαρρούντως· καὶ συμβαλόντες ἐνίκησαν αὐτούς.*

[4]) cf. Wecklinii praef. ed. p. 4, Bellermanni ed. p. 157.

[5]) cf. Bernhardy, G. d. gr. Lit. II^b. p. 319 sq.

[6]) in append. ed. p. 159.

[7]) idem docet Thesei opprobrium v. 590: *ἀλλ᾽ οὐ θελόντων γ᾽ οὐδὲ σοὶ φεύγειν καλόν.*

Atticam Oedipo Thebanos fraudari? Quare versus 919—923 non modo argumento totius fabulae non repugnant, sed etiam, si deessent, in moribus Thesei virtutem praecipuam innocentiae desideraremus.

Neque vero soli homines in fabulis Sophocliis ita cogitant et loquuntur, ut aequalium poëtae quasi species exprimere videantur. Quid? quod singula nomina atque instituta Sophoclis demum temporibus cognita nonnumquam in heroicam fabularum aetatem translata invenimus? Velut in Electra v. 49 sq. Orestes ludis Pythicis interiisse narratur, quos primum Ol. 48, 3 certaminibus gymnicis celebratos esse Pausanias[1]) testis est; eadem licentia Aiacis v. 17 Ulixi cognitionem tubae Etruscae vindicat, Salamis insula in primo stasimo quasi victoria illa iam illustris praedicatur, Salaminii v. 202 Erechthidae nominantur, quasi iam tum ea insula Atheniensium imperio oboediret; in Oedipo Col. v. 1301 *Ἄργος Δωρικόν* et v. 696—7 Peloponnesus *Δωρίς* vocatur[2]), quamquam e Thucydide I, 12 cognitum habemus: *Δωριῆς ὀγδοηκοστῷ ἔτει μετὰ τὴν Ἰλίου ἅλωσιν ξὺν Ἡρακλείδαις Πελοπόννησον ἔσχον.*

Verba igitur ipsa versuum 696—7: *οὐδ᾽ ἐν τᾷ μεγάλᾳ Δωρίδι νάσῳ Πέλοπος πώποτε βλαστὸν* nihil habent, cur interpolatoris manum in iis suspicemur. Cum vero ratio eorum metrica cum antistrophae versibus 709—710: *δῶρον τοῦ μεγάλου δαίμονος, εἰπεῖν αὔχημα μέγιστον* non concinat, sed aut stropha duabus brevibus syllabis longior sit, aut in antistropha totidem syllabae desiderentur, num recte viri docti hanc corruptelam versibus 696—7 resecandis sustulerint, anquirendum est. Namque Bergkius, Meinekius, Wecklinius voce *Πέλοπος* deleta antistrophae discrepantiam lectione *σχῆμα μέγιστον,* vel, quod Meinekio placuit, *κτῆμα μέγιστον* sanare conati sunt. Audacius vero Nauckius progressus strophae verba *νάσῳ Πέλοπος πώποτε* et antistrophae *αὔχημα μέγιστον* uncis seclusit. Quem ut statim refutem: quis homo Graecus *τὰν μεγάλαν Δωρίδα* Peloponnesum esse intellegeret? Quod fieri non potuisse Nauckium Eurip. Hec. versus 450 *ἢ Δωρίδος ὅρμον αἴας* docere potuit, quo hic homo doctus licentiam suam confirmare frustra studet. Verum etiam ceteri viri docti, quamquam optimo codici L. A. fidem maiorem adiungunt, temere vocem *Πέλοπος* in geographum cadere, in poëtam minime, putant. Ut enim Sophocles, cum in adhibendo adiectivo *Δωρίδι* temporum fabulae rationem neglegeret, genetivum *Πέλοπος* non addiderit, quo Oedipi temporibus satis faceret: certe poëta, qui paulo ante Asiae men-

---

1) *περιήγησις τῆς Ἑλλάδος* 10, 7, 4.

2) alia exempla collegit Nauckius, allgemeine Einleitung p. 31—32.

tionem fecit, ad verba *Δωρίδι νάσῳ* vocem *Πέλοπος* addere paene debuit, ne quis de insulis Doriensium prope Asiam sitis, Co, Rhodo, Creta[1]) cogitaret, aut regionem terrae occidentalem desideraret, quae Asiae apte opponeretur.[2])

Quae cum ita sint, cum a strophae verbis omne interpolationis crimen propulsaverimus, antistrophae lacunam duarum brevium syllabarum post verbum *εἰπεῖν* speciosa Porsoni coniectura *χθονός* optime expleri auctoritate G. Hermanni, Dindorfii, Bellermanni satis mihi comprobatur.

b. Quam saepe viri docti, cum proprietates dictionis Sophocliae neglegerent, iniuria fabulae versus interpolatos esse opinarentur, quod suo loco inepti inferri viderentur, iam in priore parte dissertationis passim ac variis modis demonstratum est: nunc in eas interpolationum quaestiones inquiremus, quarum iudicium optimo iure ab argumento ac progressu totius fabulae repetitur. Itaque primum (*α*), cur versus 1189—1200, 632—637, 954—955, 1626, 1768—1779 servandi sint, tum (*β*), quid in versibus 946, 1370, 1435—8, 1758 non sit ferendum, exponamus.

α. Si poëtae perfecti est, in argumento explicando nihil afferre, nisi quo finis totius fabulae aut praeparetur aut demonstretur, Sophocles ea potissimum laude insignis est.[3]) Efficitur autem ea totius fabulae perspicuitas et singularum sententiarum ordine ac dispositione et argumentorum continuatione ac contextu, ut sententiarum alia ex alia intellegi possit, omnesque inter se aptae et colligatae sint.[4])

Atque illius quidem artis speciem, qua in singulis poëta argumentis describendis ordinem dilucidum consequatur, oratio Antigonae suppeditat, cuius versus 1189—1200 iniuria suspicionem nonnullorum hominum criticorum movisse demonstrabimus. Quo loco primum cum Meinekie descendendum est, qui fidem versuum 1189—1191:

ἔφυσας αὐτόν· ὥστε μηδὲ δρῶντά σε
τὰ τῶν κακίστων κἀσεβεστάτων, πάτερ,
θέμις σέ γ' εἶναι κεῖνον ἀντιδρᾶν κακῶς

non unam ob causam suspectam habet: primum enim illud *ἔφυσας αὐτόν* abruptius inferri praecedentibus, tum nimium esse a patre expetere, ut patienter ferat quidquid iniuriarum ei Polynices illaturus sit. Sed haud scio an vitium Meinekio visum sit, quod nos Sophocliae argumentandi rationis proprium

---

[1]) cf. Homeri Od. XIX v. 177.

[2]) eandem oppositionem orientalis regionis et occidentalis praebet Aesch. Eum. v. 693. *οὔτ' ἐν Σκύθῃσιν οὔτε Πέλοπος ἐν τόποις.*

[3]) cf. Bernhardy, griech. Lit. II[b]. p. 298.

[4]) cf. Plut. mor. p. 348 D.

esse putamus. Iste enim ordo externorum et internorum argumentorum vel maxime ingenium Sophoclis profitetur et Wecklinius recte monet[1]): „quod abruptius haec sententia infertur, id nihil offensionis habet post ea, quae praecedunt, cum a causis extrinsecus adlatis (sc. a ratione Thesi et sororum Polynicis) transeatur ad eas, quibus animus Oedipi commoveatur." Verbis autem *ὥστε μηδὲ δρῶντά σε τὰ τῶν κακίστων κἀσεβεστάτων, πάτερ* hortatur Antigona, ut pater, quamvis a filio graviter laesus, animum compescat, quam temperantiam parentibus usquam dedecori esse nondum audivi. Eodem artificio poëta in versibus 1192—1200 usus, quos Nauckius nullo argumento addito retractatori alicui tribuit, primo causam externam affert, cur Oedipus commoveatur, ut Polynicem audiat, v. 1192—94:

ἀλλ' ἔασον[2])· *εἰσὶ χἀτέροις γοναὶ κακαὶ*
καὶ θυμὸς ὀξύς, ἀλλὰ νουθετούμενοι
φίλων ἐπῳδαῖς ἐξεπάδονται φύσιν.

Tum indulgentiae impetum ab Oedipi vita repetit v. 1195—1200:

σὺ δ' εἰς ἐκεῖνα, μὴ τὰ νῦν ἀποσκόπει
πατρῷα καὶ μητρῷα πήμαθ' ἅπαθες·
κἂν κεῖνα λεύσσῃς, οἶδ' ἐγώ, γνώσει κακοῦ
θυμοῦ τελευτήν, ὡς κακὴ προσγίγνεται·
ἔχεις γὰρ οὐχὶ βαιὰ τἀνθυμήματα,
τῶν σῶν ἀδέρκτων ὀμμάτων τητώμενος.

Attende autem, quam scite filia patrem iracundum tractet, cum id primum aliis hominibus opprobrio det (sc. *θυμὸν ὀξύν*), quod mox in eo ipso reprobratura sit. Vnde apparet Antigonam hoc loco eas animorum placandorum partes suscipere, quas ei vindicabimus, cum de personarum moribus dicendum erit.

Neque vero minus Sophocles continuatione argumentorum ac contextu perspicuitatem consequitur, ut quaevis sententia ex iis, quae eam aut antecedant aut insequantur, facile intellegatur. Velut versuum 632—637 ambitus

ὅτου πρῶτον μὲν ἡ δορύξενος
κοινὴ παρ' ἡμῖν αἰέν ἐστιν ἑστία·
ἔπειτα δ' ἱκέτης δαιμόνων ἀφιγμένος
γῇ τῇδε κἀμοὶ δασμὸν οὐ σμικρὸν τίνει.
ἁγὼ σεβισθεὶς οὔποτ' ἐκβαλῶ χάριν
τὴν τοῦδε,

iniuria a Wecklinio uncis includitur, quod de hospitio dici nequeat, si Oedipus supra ne nomen quidem regis noverit.[3]) Atque ut omittam comprehensionem, quae hisce versibus deletis relinquatur, nimis hiulcam, ne dicam nullam esse:

---

[1]) ars Soph. interpr. p. 134.
[2]) sic Meinekius codicis L. A. mendum *ἀλλ' αὐτόν* bene emendat.
[3]) cf. v. 68 *οὗτος δὲ τίς λόγῳ τε καὶ σθένει κρατεῖ;*

τίς δῆτ᾽ ἂν ἀνδρὸς εὐμένειαν ἐκβάλοι
τοιοῦδε; χώρᾳ δ᾽ ἔμπαλιν κατοικιῶ:

Bellermannum laudare satis habeo, qui Oedipum Thebis relictis satis diu[1]) terras pererrasse adnotat, ut dubitare posset, num Athenarum rex Theseus etiam tum superstes esset.

Neque versus 954—955:

θυμοῦ γὰρ οὐδὲν γῆράς ἐστιν ἄλλο πλὴν
θανεῖν· θανόντων δ᾽ οὐδὲν ἄλγος ἅπτεται

Nauckii Blaydesiique crimen ineptiarum meruerunt. Wecklinius autem huius loci vim angustius paullo definit, cum eum ad unum Creontis opprobrium a Theseo prolatum referat v. 930 sq.:

καί σ᾽ ὁ πληθύων χρόνος
γέρονθ᾽ ὁμοῦ τίθησι καὶ τοῦ νοῦ κενόν.

Servandi sunt versus 954—955, quia necessaria iis ratio et antecedentis scenae et Oedipi orationis insequentis continetur. Neque enim solum excusat Creon his verbis, quae supra in Oedipum molitus sit[2]), sed inest etiam Oedipi accusatio, quem, quamvis senectute gravaretur, mentem non compescere hic iam supra notaverat, v. 804—5:

ὦ δύσμορ᾽, οὐδὲ τῷ χρόνῳ φύσας φανεῖ
φρένας ποτ᾽, ἀλλὰ λῦμα τῷ γήρᾳ τρέφει,

et v. 855: ὀργῇ χάριν δούς, ἥ σ᾽ ἀεὶ λυμαίνεται.

Quae versuum 954—5 ambiguitas Oedipo ansam praebet, ut initio orationis insequentis v. 960—1:

ὦ λῆμ᾽ ἀναιδές, τοῦ καθυβρίζειν δοκεῖς,
πότερον ἐμοῦ γέροντος ἢ σαυτοῦ, τόδε;

— ubi vox γέροντος ad nomen γῆρας (v. 954) acute respicit, — crimen impotentiae animi a se defensum in Creontem ipsum recidere demonstret.

Similis autem indolis est v. 1626:

καλεῖ γὰρ αὐτὸν πολλὰ πολλαχῇ θεός,

quem post Hermannum[3]) esse spurium iudicaverunt Lehrsius[4]), Meinekius, Nauckius, quod verbis πολλὰ πολλαχῇ res non modo non augeatur, sed debilitetur, et quod nomen θεός molestum sit, cum nuntius antea tantum dixerit φθέγμα τινός, et notio dei rectius Oedipi ipsius auctoritate inferatur v. 1629:

ὁ δ᾽ ὡς ἐπήσθετ᾽ ἐκ θεοῦ καλούμενος.

Nos vero cum Dindorfio, Wecklinio, Bellermanno versum 1626

---

[1]) testes sunt versus 7—8: στέργειν γὰρ αἱ πάθαι με χὼ χρόνος ξυνὼν μακρὸς διδάσκει καὶ τὸ γενναῖον τρίτον.

[2]) cf. v. 874—5: οὔτοι καθέξω θυμόν, ἀλλ᾽ ἄξω βίᾳ κεἰ μοῦνός εἰμι, τόνδε καὶ χρόνῳ βαρύς.

[3]) ad Aristot. libr. de arte poet. p. 224.

[4]) in mus. Rhen. v. XVII, p. 489.

servari volumus primum quidem, quod eo praecipua causa, cur tanto horrore (v. 1624—5): ὥστε πάντας ὀρθίας

στῆσαι φόβῳ δείσαντας ἐξαίφνης τρίχας

ii, qui aderant, affecti sint, continetur. Si enim quis homo humana voce Oedipum vocasset, cur illi timerent, non fuisset. Cum vero vox eius, qui Oedipi nomen sollemniter repetat (πολλαχῇ) humanas vires excedat (πολλά), deum esse illum omnes, ut credant, suo Marte adducuntur. Itaque hanc opinionem auctoritate Oedipi ipsius confirmari non opus erat. Quid? quod ipse versus 1629, qui non verba Oedipi sed cogitationem afferat, versum 1629 iniuria notatum vel maxime desiderat, ut intellegamus, qua ratione nuntius eiusque comites, quid novissimum Oedipus v. 1630 sq. ageret diceretque interpretari potuerint.[1]) Denique non minimi momenti est, quod ipsa dei verba v. 1627 ὦ οὗτος οὗτος, Οἰδίπους, κτλ., si exordio versus 1626 carerent, multo abruptius inferrentur. Ideo Sophoclem, qui ceteras nuntii orationes directas simili dicendi verbo incohaverit, velut v. 1611 εἶπεν, v. 1631 εἶπεν, v. 1639 λέγει, etiam v. 1626:

καλεῖ γὰρ αὐτὸν πολλὰ πολλαχῇ θεός·

scripsisse consentaneum videtur esse.

Restat, ut Nauckium refutemus, qui totius fabulae conclusionem inde a versu 1768:

Α. ἀλλ' εἰ τάδ' ἔχει κατὰ νοῦν κείνῳ, κτλ.,

ab interpolatore additam esse arbitratus operam perdidisse dicit Meinekium et Hermannum, quorum alter emendatione v. 1772 τοῖς ἡμετέροισιν ὁμαίμοις alter deleta particula γάρ in v. 1776 πρὸς χάριν· οὐ δεῖ μ' ἀποκάμνειν constantis apud Aeschylum ac Sophoclem usus systemata singularum personarum anapaestica paroemiaco claudendi debitam rationem haberet. Qualem vero exitum fabulae nobis relinquat, non curat Nauckius. An eo Oedipus Coloneus apte concluditur, si Theseus versibus 1760—67 ultimis Antigonae precibus satisfieri nefas esse exponit? Immo nos tanto poëta dignius esse et ipso argumento praescribi putamus, ut non modo Oedipum aeterna quiete frui sed etiam filias, quae eum usque ad finem vitae pie prosecutae sint, de vita futura a Theseo choroque solamine elatas abire audiamus. Tum cui non maxime arrideat, quod Antigona adeo in suis animorum conciliandorum partibus perstat, ut fratrum interitum se precibus amoturam esse nondum desperans venustissimae Sophoclis fabulae „Antigonae“ significationem iniciat? Neque vero ultimum chori carmen versus 1777 sp. iure ab hac fabula

---

[1]) Similis est ratio versuum 1258—9 OT. λυσσῶντι δ' αὐτῷ δαιμόνων δείκνυσί τις· οὐδεὶς γὰρ ἀνδρῶν, οἳ παρῆμεν ἐγγύθεν, ubi ipse quoque nuntius deorum numen in iis, quae agit Oedipus, agnoscit.

F. Ritterus abiudicat, qui omnium Sophoclis fabularum clausulas resecandas esse contendit[1]), fabulam opinatus ut incohari per actores ita per eosdem finiri debere. Quo loco Wecklinius audiendus est, qui[2]) maiore iure confirmat ut chorum cum carmine prodire ita eum cum carmine exire debere. Denique dactylorum usus pro anapaestis in hoc carmine saepe repetitus interpolatorem minime prodit, cum summi poëtae esse putem ista arsis solutione, propter oppositam longam thesim numeri facilitatem impediente, quomodo filiarum pectora sensim quietem recipiant, artificiosius depingere.

β. Ex quibus exemplis cum sententiarum cohaerentia fidem quorundam locorum confirmari pateat, contra, si quis versus sententiam aut a sui loci condicione aut a totius fabulae argumento alienam exhibebit, interpolationis macula eum infectum esse concedemus. Quod vitium versus 946, 1370, 1436, 1758 traxisse subinde demonstrandum est.

Atque ut a versibus 944 sq. exordiar

ἤδη δ' ὁθούνεκ' ἄνδρα καὶ πατροκτόνον
κἄναγνον οὐ δεξοίατ', οὐδ' ὅτῳ γάμοι
ξυνόντες ηὑρέθησαν ἀνόσιοι τέκνων,

primum videamus, num verba *γάμοι ἀνόσιοι τέκνων* hoc loco omnino intellegi possint. Ac Bellermannus non recte subiectivum esse genetivum *τέκνων* aut verba *γάμοι τέκνων* „Sohnesehe“ interpretanda esse censet, cum numerus pluralis *τέκνων,* qui generis dicitur, in enuntiato locum non habeat, ubi eiusdem personae, quae eo plurali significatur, ratio iam singulari pronominis (*ὅτῳ*) numero habita sit.[3]) Wecklinius autem genetivo *τέκνων* ad adiectivum *ἀνόσιοι* relato verti posse „Ehe unheiliger Kinderzeugung“ haud scio an nemini probaturus sit. Itaque restat verborum *γάμοι τέκνων* sola interpretatio „eine Ehe der Eltern mit ihren Kindern“, quod opprobrium cum iure ad Iocastam minime vero ad Oedipum pertinere possit, in quem unum Creon hoc loco invehitur, vocem *τέκνων* corruptam esse efficitur. Vidit hoc Reiskius et scripsit *τέκνῳ,* cui adsentitur Meinekius; sed ea constructione *ὅτῳ τέκνῳ γάμοι ξυνόντες ἀνόσιοι ηὑρέθησαν* verbum finitum ratione hominum, a quibus impiae nuptiae inveniebantur, prorsus destitutum in suspenso relinquitur. Nauckius vero coniectura

κἄναγνον οὐ δεξοίατ' οὐδέν', οὐδ' ὅτῳ
ξυνόντες ηὑρέθησαν ἀνόσιοι γάμοι

---

[1]) in philol. vol. XVII, p. 422—436.
[2]) p. 167.
[3]) cf. exempla eius usus a Nauckio collecta ad OC. v. 970, OT. v. 107 et 1007.

omne huic loco acumen ademit. Equidem scribendum propono

οὐδ' ὅτῳ γάμοι
ξυνόντες ηὑρέθησαν ἀνόσιοι τέκνοις,

quo dativo ethico (in den Augen seiner eigenen Söhne) non modo verbum ηὑρέθησαν habet, quo explicetur, sed etiam novum idque gravissimum additur argumentum, cur Creon Oedipum Colonensibus acceptum non fore existimet: scilicet quod ipsi filii patris flagitia detestati e patria eum expulerint.[1]) De filiabus autem hoc loco non esse cogitandum puto, quamquam ne Antigonam quidem ab omni patris reprobratione abstinuisse v. 1195 sq.: σὺ δ' εἰς ἐκεῖνα, μὴ τὰ νῦν, ἀποσκόπει,

πατρῷα καὶ μητρῷα πήμαθ' ἅπαθες· κτλ.

docent. Neque vero huic emendationi id officit, quod Oedipus postea in criminibus parricidii et matris conubii excusandis filiorum male facta uno verbo ὄνειδος tangit v. 984:

αὑτῆς ὄνειδος παῖδας ἐξέφυσέ μοι,

utpote qui eorum impietatem supra versibus 418 sq., 427 sq., 441 sq. satis superque subsannaverit.

Nec leviore corruptela laborare versus 1370 sq.:

τοιγάρ σ' ὁ δαίμων εἰσορᾷ μὲν οὔ τί πω
ὡς αὐτίκ', εἴπερ οἵδε κινοῦνται λόχοι κτλ.

inter omnes fere constat, quam Wecklinius et Bellermannus contorta interpretatione minime sustulerunt. Supplent enim hi viri εἰσορᾷ μὲν οὔ τί πω, ὡς αὐτίκα εἰσόψεται, εἴπερ κινοῦνται κτλ. et intellegunt: itaque genius nondum quidem te aspicit, ~~si quidem~~ etc. Quod ne fieri possit, multa sunt, quae impediant. Ac primum quidem, quis sit ille daemon, non satis liquet, neque iure Bellermannus v. 279 βλέπειν μὲν αὐτοὺς κτλ. affert, cuius notio αὐτούς ad universos deos referri debet. Tum, cur Oedipus filio gravissime iratus verbis εἰσορᾷ μὲν οὔ τί πω ultionem in posterum tempus differat, non intellegitur, cum praesertim condicionem, sine qua ultio non irruat, iamiam compleri tempore praesenti εἴπερ κινοῦνται satis indicetur.[2]) Immo ultionem filio statim imminere et iracundia Oedipi et acumen particulae τοιγάρ vocula μέν auctum, genuinam hoc loco affirmationis vim profitente[3]), et similis ratio dirarum, quae insequuntur, docet, ubi v. 1380 sq.:

τοιγὰρ τὸ σὸν θάκημα καὶ τοὺς σοὺς θρόνους
κρατοῦσιν, εἴπερ ἐστὶν ἡ παλαίφατος Δίκη, κτλ.

---

[1]) cf. v. 93, 1356, aut certe, quominus a civibus expelleretur, non impediverint cf. 440 sq.

[2]) Wecklinium igitur et Bellermannum εἴπερ κινήσονται legere necesse esset, quod cum rerum natura pugnaret.

[3]) inutilis igitur est Heimsoethi coniectura νῦν in „krit. Studien" I, p. 51.

eadem constructione Polynicem patris diris iam obnoxium esse demonstratur.

Atque ut alias coniecturas omittam, quibus verba corrupta *οὔ τί πω* sanentur: Sehrwaldi[1]) emendatione sane palmari *Οἰδίπου* pro verbis *οὔ τί πoῦ* (cod. L. A.) sinceritatem sententiae restitutam esse censeo. Pideritus[2]) suo Marte idem invenit et *ὡς αὐτίκ᾽* v. 1371 ex recordatione versus 380 *ὡς αὐτίκ᾽ Ἄργος κτλ.* confictum, scilicet ut oppositio exsistat verborum corruptorum *οὔ τί πω,* restituit in *εἰς αὐτίκ᾽,* cum de tempore proxime instante dicatur. Quod duo viri mire ea in re consentiunt, pristino nitore hunc locum ita ornatum esse magis nobis probatur:

τοιγάρ σ᾽ ὁ δαίμων εἰσορᾷ μὲν Οἰδίπου
εἰς αὐτίκ᾽, εἴπερ οἵδε κινοῦνται λόχοι κτλ.

Quae dirae quam graves sint, Polynicem iam ante sensisse v. 1298 sq. et postea v. 1432 sq. testes sunt. Similia autem Creonti Oedipus minitabatur v. 787 sq.: *ἀλλά σοι τάδ᾽ ἔστ᾽, ἐκεῖ χώρας ἀλάστωρ οὑμὸς ἐνναίων ἀεί·*

Unde apparet genium Oedipi ultorem tanquam ab ipso seiunctum Thebis versari cogitandum esse. Quam vero sollemnis pronuntiatio *ὁ δαίμων Οἰδίπου* omnino ab elatiore Oedipi dictione in hac fabula non abhorreat, his exemplis evincitur: v. 1 *τέκνον τυφλοῦ γέροντος,* v. 3 *τὸν πλανήτην Οἰδίπουν,* v. 626 *κοὔποτ᾽ Οἰδίπουν ἐρεῖς,* v. 1395 sq. *οὕνεκ᾽ Οἰδίπους τοιαῦτ᾽ ἔνειμε παισὶ τοῖς αὑτοῦ γέρα.*

Iam venimus ad crucem illam criticorum: versus 1435 sq. a codice L. A. sic traditos ac vulgo distinctos:

σφῷν δ᾽ εὐοδοίη Ζεύς, τάδ᾽ εἰ τελεῖταί μοι
θανόντ᾽, ἐπ᾽ οὔ μοι ζῶντι γ᾽ αὖθις ἕξετον.
μέθεσθε δ᾽ ἤδη χαίρετόν γ᾽· οὐ γάρ μ᾽ ἔτι
βλέποντ᾽ ἐσόψεσθ᾽ αὖθις.

Codex L. B[3]) praebet in v. 1437 *με ζῶντα* ab Elmsleio receptum. Leviores correcturas *τελεῖτε* (1435), *ἐπεὶ οὐ* (1436), *χαίρετόν τ᾽* (1437) iure omnes editores probaverunt. Iniuria autem dissensionem movit verbum *εὐοδοίη,* a Wecklinio et Bellermanno bene defensum, cum activum genus *εὐοδοῦν* Theophrasti caus. pl. 5, 6 et Hesychii v. *εὐοδώσει* testimoniis, dativus *σφῷν* usu adiectivi *εὔοδος* confirmetur, velut Xen. anab. IV, 2, 9 *εὐοδωτάτη ἦν τοῖς ὑποζυγίοις ἡ ὁδός.* Itaque Burgesii coniectura *εὖ διδοίη* inutilis est.

---

[1]) in progr. gynm. Altenburg. 1864.
[2]) in ann. phil. 1871 v. 103, p. 787.
[3]) de cuius fide egit R. Schneiderus „der Stammbaum der Sophokleischen Handschriften“ in Jahnii annal. phil. 1877, p. 447.

Restat igitur una difficultas v. 1436 eaque gravissima. Verba enim ita construenda σφῷν δ᾽ εὐοδοίη Ζεύς, εἴ μοι θανόντι τάδε τελεῖτε, ἐπεί γ᾽ οὐκ αὖθις ἕξετόν μοι ζῶντι sc. τάδε τελεῖν sic intellegi necesse est: „Euch möge Zeus segnen, wenn ihr mir die letzten Ehren erweist nach meinem Tode, denn bei meinen Lebzeiten werdet ihr dies künftig nicht thun können.“ Quae quam inepta sint, nemo non sentit. Neque enim Polynices a sororibus petere potest, ut vivo ipsi iusta fiant, neque, quod Bellermanno placet, ut aliud officium quodlibet illae ipsi praestent. Quam difficultatem ut effugiat, Engerus versus 1435—36 delet; iniuria, cum Polynicem in novissimis sororum amplexibus, quin curam ipsius sepulturae iterum commemoraret, (cf. v. 1410)[1]) a se impetrare non potuisse probabile sit. Dindorfius autem, qui, a Sophocle quod scriptum sit in versu 1436, aut nihil esse videri aut solum dativum θανόντι reliquis verbis amissis putat, Meinekium habet assentientem, qui ipse quoque post versum 1435 lacunae signum ponit. Madvigius vero[2]) versum 1439, ab Elmsleio duce L. B codice emendatum, post versum 1409 conlocat, cui Nauckius adstipulatur. Equidem tanto molimine opus non esse ratus, ut huic loco suum lumen restituatur, omissis ceterorum virorum coniecturis hanc emendationem totius enuntiati propono: καὶ μή μ᾽ ἐπίσχῃς γ᾽· ἀλλ᾽ ἐμοὶ μὲν ἥδ᾽ ὁδὸς ἔσται μέλουσα, δύσποτμός τε καὶ κακὴ πρὸς τοῦδε πατρὸς τῶν τε τοῦδ᾽ ἐρινύων· σφῷν δ᾽ εὐοδοίη Ζεύς, τάδ᾽ εἰ τελεῖτέ μοι θανόντ᾽. ἐπεὶ οὔ με ζῶντά γ᾽ αὖθις ἕξετον, μέθεσθέ τ᾽ ἤδη χαίρετόν τ᾽· οὐ γάρ μ᾽ ἔτι βλέποντ᾽ ἐσόψεσθ᾽ αὖθις. „Da es nun einmal beschlossene Sache ist, dass ihr mich lebend nicht wieder bekommen werdet, so lasst ab, (mich zu bestürmen) und lebt wol, denn wir sehen uns nie wieder.“ Interpunxi autem cum Wecklinio post vocem ἐρινύων semicolo, ut enuntiato σφῷν δ᾽ εὐοδοίη Ζεύς, τάδ᾽ εἰ τελεῖτέ μοι θανόντ᾽ iis, quae antecedant, coordinato pronomina ἐμοὶ μέν et σφῷν δ᾽ apte inter se opponantur. Quae enim oppositio potest aptior esse quam Polynicis et sororum fortunae? Post participium vero θανόντ᾽ interpunxi, ut enuntiatum ἐπεὶ οὔ με ζῶντα γ᾽ αὖθις ἕξετον arctius cum verbis μέθεσθε τ᾽ ἤδη coniungatur, cum alterum praedicatum χαίρετόν τ᾽ enuntiato οὐ γάρ μ᾽ ἔτι βλέποντ᾽ ἐσόψεσθ᾽ αὖθις numerose confirmetur. Atque dativi θανόντ᾽ iota a tragicis elidi potuisse ut putem, Bellermannus exemplis ex Aesch. Pers. v. 852, 891, Soph. Trach. v. 675, Eur. Alk. v. 1118, (Hom. Il. 5, 5) repetitis mihi persuasit. Ceterum codicis L. B. lectionem με ζῶντα recepi et voculas δ᾽ ἤδη dittographia ortas

---

[1]) ἀλλ᾽ ἐν τάφοισι θέσθε κἀν κτερίσμασιν.

[2]) in adv. crit. I, p. 225.

in τ' ἤδη restitui. Ex quo calami lapsu tota haec corruptela videtur fluxisse, cum vetus aliquis grammaticus a verbis *μέθεσθε δ'* novum enuntiatum incipere arbitratus verba *με ζῶντα* in *μοι ζῶντι* mutaret, ut cum verbo *τελεῖν* construerentur. Quod pronomine *τάδ'* honores funebres v. 1410 fusius commemoratos hoc loco tantum significantur, Hermannum iniuria offendit. Namque in iis, quae proxime antecedunt, de ipsa morte Polynicis defendenda agitur et Polynicem in re ominosa brevitate uti minime dedecet.[1]) Wecklinio autem, qui in eo haesitat, quod[2]) enuntiatis *ἐπεὶ οὔ με ζῶντά γ' αὖθις ἕξετον* et *οὐ γάρ μ' ἔτι βλέποντ' ἐσόψεσθ' αὖθις* eadem fere sententia pronuntietur, respondemus Polynicem supra (v. 1432) simplici interrogationis Antigonae responsione „*δεδογμένα ἐστί*" oppressa hoc demum loco sororibus non temere inculcare voluisse de vita ipsi iam nihil sperandum esse. Quam dictionis artem venusta verborum varietate auctam neque a rerum natura alienam esse et auribus tum maxime percipi, cum utrumque enuntiatum eodem ambitu contineatur, nemo erit, quin concedat.

Reliquum est, ut versum 1758 *ἀλλ' οὐ θεμιτὸν κεῖσε μολεῖν* interpolatione laborare e turbato sententiarum conexu concludamus. Licet rationi metri anapaestici in eo neglectae Brunckii, Erfurdtii, Hermanni coniecturae optime consuluerint: mihi recte fecisse videntur, qui verba *κεῖσε μολεῖν* auctore Bothio deleverunt, Dindorfius, Wunderus, Nauckius, Wecklinius, Bellermannus, propterea quod Antigonae quae sequitur interrogatio v. 1759 *πῶς εἶπας, ἄναξ,* suum locum habet, ubi sententia undique nondum definita (*ἀλλ' οὐ θεμιτόν*) praecedit. Itaque Theseus interroganti Antigonae versibus demum 1760 sq. ad tumulum Oedipi accedere nefas esse apte exponit.

§ 4. B. Ex personarum condicione ac moribus interpolationum iudicium proficiscitur.

Iam vitae Sophoclis scriptorem, qui de eo praedicat: *οἶδε καιρὸν συμμετρῆσαι καὶ πράγματα, ὥστ' ἐκ μικροῦ ἡμιστιχίου ἢ λέξεως μιᾶς ὅλον ἠθοποιεῖν πρόσωπον,* non fugit hunc poëtam non pingui colore mores personarum sed paucis quasi lineolis adumbrare, ut saepenumero ratio ipsius argumenti, quid de vita singularum personarum iudicandum sit, suppeditet. Eo magis autem dolendum est, quod viri docti nonnullos versus Oedipi Colonei interpolatos esse opinantur, qui non minimum illius artis documentum prae se ferunt. Itaque alteram oeco-

---

[1]) cf. Wecklinii adnot. ad. v. 1435.

[2]) quae causa est, cur hic homo doctus versum 1436 omnino deleat.

nomiae partem, quae in personarum condicione ac moribus versatur, in iudicium adducemus, ut illas inanes interpolationum opiniones dissipemus.

a. Atque ut ab Oedipo[1]) ipso exordiar, cuius in fortuna quasi cardine tota fabula vertitur: mirum est, quantopere viri docti de moribus eius dissentiant. Aliis enim Oedipus culpam facinoribus in Oedipo rege detectis nullam, aliis vel maximam concepisse videtur. Unde factum est, ut in Oedipo Coloneo alii eum culpae culpam addere existiment, quem alii calamitate doctum et cum diis reconciliatum esse velint. Utrorumque opiniones Bellermannus[2]) bene emendavit. Neque enim poëtam aliud scripsisse aliud sensisse neque christianae disciplinae praecepta, ut Oedipus virtute *ταπεινοσύνης*, quae cum vera peccatorum conscientia[3]) coniungitur, praecelleret, eo tempore valuisse putandum est. Immo vero Oedipum ipsum utroque scelere parricidii ac matris conubii culpam sibi nullam concepisse videri e versibus 215 sq., 266 sq., 279, 287, 545 sq., 963 sq., 971 sq., 988 sq. satis apparet. Quid? quod de eius innocentia praeter unum Creontem adversarium filias v. 240, 252—253, Theseum v. 555 sq., chorum 1565—6 consentire videmus?

Verum licet nemo habeat, quod Oedipo ipsi opprobrio det, tamen is esse non desinit, quem tantis sceleribus patratis dei invitum coram hominibus notaverunt.[4])

Quam oppositionem innocentiae animi et maculae extrinsecus affixae ipso Oedipi habitu apparere viatoris verba demonstrant (v. 75—77:) *οἶσθ᾽, ὦ ξέν᾽, ὡς νῦν μὴ σφαλῇς; ἐπείπερ εἶ*
γενναῖος, ὡς ἰδόντι, πλὴν τοῦ δαίμονος,
αὐτοῦ μέν᾽, οὗπερ κἀφάνης, κτλ.,

ubi verba *ἐπείπερ εἶ γενναῖος, ὡς ἰδόντι, πλὴν τοῦ δαίμονος* Nauckius inepta esse putat. Neque enim, qui totus Oedipi habitus praeter horrorem aut misericordiam movere possit etiam ingenuitatis opinionem videt et, si moveat, iniquam fortunam huic praestantiae officere negat. Sed acutius in rem intuentibus apparet verba *πλὴν τοῦ δαίμονος* tam arcte cum dativo *ἰδόντι* coniungi, ut haec sententia evadat „da du edel bist, wenn man nach dem Augenschein urteilt und dabei absieht von deinem Missgeschick". Itaque non ingenuitati fortunam sed habitum Oedipi existimationi officere viator iure dicit. Sophocles autem hominem, qui primus Oedipo obviam fit, verba
ἐπείπερ εἶ
γενναῖος, ὡς ἰδόντι, πλὴν τοῦ δαίμονος

---

[1]) cf. Lehrs. populaere Aufs. p. 213 sq.
[2]) in append. ed. p. 149 sq.
[3]) cf. L. Schmidt, die Ethik der alten Griechen, I, p. 77.
[4]) cf. v. 265 *ὄνομα μόνον δείσαντες.*

de eo facientem inducit, ut ii qui audiant ipso fabulae initio Oedipum sciant innocentem animo et ingenuum esse, quamquam vitae condicione ac corporis habitu veteris culpae speciem ostendat.

Quae fortuna quantopere ipsius existimationem inter omnes homines minuat, Oedipus non ignorans rogat chorum (299 sq.):

Ο. ἦ καὶ δοκεῖτε τοῦ τυφλοῦ τιν᾽ ἐντροπὴν
ἢ φροντίδ᾽ ἕξειν αὐτόν, ὥστ᾽ ἐλθεῖν πέλας;
Χ. καὶ κάρθ᾽, ὅταν περ τοὔνομ᾽ αἴσθηται τὸ σόν.
Ο. τίς ἔσθ᾽ ὁ κείνῳ τοῦτο τοὔπος ἀγγελῶν;
Χ. μακρὰ κέλευθος, πολλὰ δ᾽ ἐμπόρων ἔπη
φιλεῖ πλανᾶσθαι, τῶν ἐκεῖνος ἀίων,
θάρσει, παρέσται· πολὺ γάρ, ὦ γέρον, τὸ σὸν
ὄνομα διήκει πάντας, ὥστε κεἰ βραδὺς
εὕδει, κλύων σοῦ δεῦρ᾽ ἀφίξεται ταχύς.

Wecklinius hos versus ab interpolatore putat insertos esse, qui Thesei verba infra v. 551—554 male interpretatus desideraret, a quo ille Oedipi nomen acciperet. Cum aliis de causis tum eodem argumento usus Hirzelius[1]) tantum versus 301—304 delendos esse censet, cui adsentiuntur Meinekius[2]), Dindorfius[3]), Nauckius.

Atque ut primum cum Wecklinio descendamus: Oedipi fortuna ac moribus supra illustratis v. 7—8:

στέργειν γὰρ αἱ πάθαι με χὠ χρόνος ξυνὼν
μακρὸς διδάσκει καὶ τὸ γενναῖον τρίτον

hanc v. 299 sq. interrogationem bene comprobari et totum hoc colloquium in iis artificiis referendum esse, quibus et fabulae finis apte retardetur et eorum qui audiunt intentio, num res Oedipo bene processura sit, magis augeatur, nemo negabit.

Iam, in quo maxime viri docti haesitant, versus 551—554 cum hoc loco facile conciliari posse videamus:

πολλῶν ἀκούων ἔν τε τῷ πάρος χρόνῳ
τὰς αἱματηρὰς ὀμμάτων διαφθορὰς
ἔγνωκά σ᾽, ὦ παῖ Λαΐου, τὰ νῦν θ᾽ ὁδοῖς
ἐν ταῖσδ᾽ ἀκούων μᾶλλον ἐξεπίσταμαι.

Hoc est: „Da ich auch in früherer Zeit von Vielen von der blutigen Zerstörung deiner Augen hörte, erkenne ich dich, Sohn des Laios, und da ich (auch) auf diesem Wege davon hörte, bin ich meiner Sache noch gewisser (dass du es bist). Vel ut aliter rem vertamus: „in hac via me de tuo habitu ac persona certiorem fieri paene opus non fuit, cum iam diu oculorum tuorum mutilationem non ignorans primo te obtutu agnoscerem.

---

[1]) in mus. Rhen. v. XVIII, p. 306—310, 1863.
[2]) in praef. ed. p. X.
[3]) in ed. 1869.

Quae vero hospitis agnoscendi signa hic a viatoribus, a quibus senem forte conspectum esse versus 25 docet:

πᾶς γάρ τις ηὔδα τοῦτο γ᾽ ἡμῖν ἐμπόρων,

audiverit, et versus 552 ad alterum ἀκούων v. 554 iterum supplendus et versus, qui sequitur, indicat 555:

σκευή τε γάρ σε καὶ τὸ δύστηνον κάρα κτλ.

Quo sententiarum conexu quid potest aut magis ex rerum natura aut facilius ad intellegendum esse? Mitto igitur Nauckii et Heimsoethi[1]) coniecturas, qui falsa opinione praeoccupati ad alterum ἀκούων v. 554 nomen Oedipi subaudiendum esse totius sententiae concinnitatem everterunt.

Unde cum appareat Theseum Oedipi nomen non ab aliquo homine comperisse sed e narrationibus hominum ipsi obviorum coniecisse, reliquum est, ut versus 301 sq. huic sententiae non officere evincamus. Quorum ratio bene constat, si verbum αἴσθηται non de audiendi sensu sed de suspicando intellegimus. Chorus igitur sperat Theseum ipsum e narrationibus nuntii viatorumque nomen Oedipi coniecturum esse. Oedipus autem, quomodo id fieri possit, miratus quaerit v. 302:

τίς ἔσθ᾽ ὁ κείνῳ τοῦτο τοὔπος ἀγγελῶν;

Quam curam chorus his verbis bene sublevat v. 303—7 μακρὰ κέλευθος, κτλ., in quibus Hirzelium eiusdem fere sententiae repetitio „veniet Theseus, ubi te adesse audierit" v. 301, 304—5, 307 temere offendit, cum consolantis sit eam sententiam, qua summa solacii contineatur, saepius repetere. Eademque de causa chorus spatium decem stadiorum, quod inter Athenas et Colonum interest, longum appellat (μακρὰ κέλευθος[2]) sc. ἐστί), quo facilius Theseum in via tam trita de hospite aliquid comperire posse Oedipo persuadeat. Quod Nauckius simplex verbum ἀΐω praeterquam a trimetris alienum esse monet, levioris momenti est, cum Sophoclis artem tam severis legibus non adstrictam esse saepius videamus.

Optimo vero iure viri docti in verbis ὥστε κεἰ βραδὺς εὕδει haerent, cum tarde quemquam dormire inauditum sit, et Bellermannus frustra optet, ut adiectivum βραδύς idem valeat hoc loco quod μαλακός. Quam Charybdin Brunckius ἕρπει, Eldickius[3]) σπεύδει coniecturis cum evitare conarentur, in Scyllam mihi videntur incidisse. Quis enim non videt chorum talem Thesei condicionem significare, quae a celeritate in proficiscendo vel adveniendo (δεῦρ᾽ ἀφίξεται ταχύς) quam longissime absit, quo melius, quam prompto ille animo Oedipo adfuturus sit,

[1]) in ind. lect. Bonn. 1874, p. X.
[2]) fere „der Weg ist lang genug."
[3]) cf. Wecklinius in adnot.

illustretur? Quae vero condicio a celeriter proficiscendo magis distat quam dormire? Itaque verbum *εὕδει* summopere servari volo, cui pro adiectivo *βραδύς* iungendam esse propono vocem *βαθύν*, cuius orthographiam e nimia propinquitate similis voculae *ταχύς* corruptelam traxisse facilis est coniectura.[1]) Subaudi *ὕπνον*, velut Lucian. dial. mar. 2, 3 *ὡς βαθὺν ἐκοιμήθης*[2]).

Alterum modestiae documentum, quam fortuna Oedipum docuit, haec verba praebent v. 1132 sq.:

καίτοι τί φωνῶ; πῶς δ᾽ ἂν ἄθλιος γεγὼς
θιγεῖν θελήσαιμ᾽ ἀνδρός, ᾧ τις οὐκ ἔνι
κηλὶς κακῶν ξύνοικος; οὐκ ἔγωγέ σε
οὐδ᾽ οὖν ἐάσω· τοῖς γὰρ ἐμπείροις βροτῶν
μόνοις οἷόν τε συνταλαιπωρεῖν τάδε.

Quisquis hanc librorum scripturam sequetur, quin verba *ἀνδρός, ᾧ τις οὐκ ἔνι κηλὶς κακῶν ξύνοικος* de Theseo intellegat, facere non poterit. Quae sententia quantopere ab hoc loco aliena sit, G. Hermannus primus intellexit. Nonne enim Oedipo inepte esset propositum, ut nisi homines sceleratos tangere nollet? Immo in Oedipum ipsum enuntiatum illud quadrare Hermannus perspiciens leviusculis correcturis *πῶς σ᾽ ἂν* v. 1132 et *ᾧ τίς* v 1133 hanc sententiam sanam restituit: „indess, was rede ich, wie kann ich unselig Geborener wollen, dass Du einen Mann berührst, dem welche Befleckung nicht inne wohnt?“ Quam emendationem Bellermannus merito amplectitur. Dindorfius autem audacius paullo agens verba *ἄθλιος γεγώς* interpolata esse ratus *πῶς ἂν ἁγνὸν ὄντα σε* coniecit et Nauckium Weckliniumque habuit pedisequos. Iniuria. Ut enim nihil dicam de significatione verborum *ἄθλιος γεγώς* minime suspecta[3]): quem non offendat, quod Oedipus, qui per totam fabulam animi innocentiam profitetur, omissa scelerum summa excusatione (*ἄθλιος γεγώς*) enuntiato *ᾧ τίς οὐκ ἔνι κηλὶς κακῶν ξύνοικος;* vel gravissimam sibi culpam iniuncturus fuerit? Ergo Oedipus, quamquam concedit culpam sibi extrinsecus adhaerere graviorem, quam ut Theseum tangere audeat, tamen, quod inde a partu sibi tanta scelerum moles imminuerit, saepe adhibitam ipsius excusationem, ne hoc quidem loco omittit: *πῶς σ᾽ ἂν ἄθλιος γεγώς κτλ.*

Nec melius Nauckius agit, quocum Wecklinius facit, quod in versu 1135 voce *βροτῶν* deleta genetivum *κακῶν* recipien-

---

[1]) Bothius, cui „*βαθύς*“ valet *βαθύ, βαθέως*, non vidit hoc adiectivo non hominem, qui dormiat, sed ipsum somnum definiri.

[2]) cf. de usu accusativi a verbis intransitivis pendentis Krüger. gr. gr. § 46, 3 cum adnot., Koch, gr. gr. § 83, 9.

[3]) cf. OC. v. 246, OT. v. 1413.

dum esse putat, quippe qui e versu antecedente (*κηλὶς κακῶν ξύνοικος;*) facili negotio suppleri possit.

Denique Oed. Tyr. versus 1413—1415, qui simillimam huius loci sententiam similibus verbis exprimunt, liceat mihi perscribere, ne quid omittam, quo Dindorfii Nauckiique coniecturas inutiles esse melius intellegatur:

ἴτ᾽ ἀξιώσατ᾽ ἀνδρὸς ἀθλίου θιγεῖν·
πίθεσθε, μὴ δείσητε· τἀμὰ γὰρ κακὰ
οὐδείς οἷός τε πλὴν ἐμοῦ φέρειν βροτῶν.

Quantopere Oedipus deorum auctoritate confisus sit e versibus 792—3 cognoscitur:

πολλῷ γ᾽, ὅσῳπερ ἐκ σαφεστέρων κλύω,
Φοίβου τε καὐτοῦ Ζηνός, ὃς κείνου πατήρ,

quorum alterum Nauckius abicit, quod verba *ὃς κείνου πατήρ* languidi aliquid habeant. Sed obstat ei audaciae primum, quod vox *σαφεστέρων* explicatione versus 793 abiecta intellegi non potest, tum quod Apollinis Iovisque vero oraculo Creontis, quod sequitur, *ὑπόβλητον στόμα* non sine acumine opponitur. Denique Oedipi proprium esse deorum auctoritatem effusiore paulo sermone appellare sive cum choro sive cum Polynice sive cum Theseo ei res sit, ex his exemplis apparet:

v. 287: *ἥκω γὰρ ἱερὸς εὐσεβής τε κτλ.*
v. 1381—2: *εἴπερ ἐστὶν ἡ παλαίφατος*
Δίκη, ξύνεδρος Ζηνὸς ἀρχαίοις νόμοις.
v. 623: *εἰ Ζεὺς ἔτι Ζεὺς χὠ Διὸς Φοῖβος σαφής.*

Quod si ita est, etiam hunc locum genuinum esse efficitur, cum praesertim verbum *σαφεστέρων* et ea consanguinitatis significatio *ὃς κείνου πατήρ* auctoritate versus 623 (*σαφής* et *χὠ Διός*) magis confirmentur.

Modestia igitur uti et pietate deos colere Oedipus acerbitate fortunae didicit, iram deponere aut mentem compescere[1]) non didicit. Nimirum christianae disciplinae praeceptum, ut inimicum diligas Graecis inauditum fuit. Quare hic non ita de vita excedit, ut neminem sibi non conciliatum relinquat, sed ut Apollinis oraculum v. 92—93:

κέρδη μὲν οἰκήσαντα τοῖς δεδεγμένοις,
ἄτην δὲ τοῖς πέμψασιν, οἵ μ᾽ ἀπήλασαν

non modo Thebarum sed etiam ipsius filiorum sortibus exprimi summopere cupiat. Huc spectant, quibus Oedipus Polynicem dimittit, versus 1393:

καὶ ταῦτ᾽ ἀκούσας στεῖχε, κἀξάγγελλ᾽ ἰὼν
καὶ πᾶσι Καδμείοισι τοῖς σαυτοῦ θ᾽ ἅμα
πιστοῖσι συμμάχοισιν, οὕνεκ᾽ Οἰδίπους
τοιαῦτ᾽ ἔνειμε παισὶ τοῖς αὑτοῦ γέρα.

---

[1]) cf. L. Schmidt, die Ethik der alten Griechen I, p. 77.

Quo in enuntiato Nauckius versum 1394:

καὶ πᾶσι Καδμείοισι τοῖς σαυτοῦ θ' ἅμα

recentioris temporis additamentum putat esse, quod neque particulae *καί* et *τέ* sibi respondere debeant, neque amplificatio verborum *καὶ πᾶσι* huic loco apta sit. Equidem Wecklinium sequor, qui[1]) contra Nauckium bene disserit hunc locum sic interpretandum esse: „tu scis et refer etiam Cadmeis sociisque, ut tecum sciant.“ Simillima autem est ratio particularum *καί* et *τέ* in Oed. Tyr. v. 347: *ἴσθι γὰρ δοκῶν ἐμοὶ καὶ ξυμφυτεῦσαι τοὔργον εἰργάσθαι θ', ὅσον μὴ χερσὶ καίνων·*, ubi vocula *καί* ipsa quoque amplificationis notionem „etiam“ usurpat et particula *τέ* illi *καί* subiuncta artius verba *ξυμφυτεῦσαι* et *εἰργάσθαι* coniunguntur. Sententia versus 1394 vero ab animo Oedipi utrique filio aeque infenso quam non aliena sit, cum e versibus 1369, 1374, 1377 sq., 1388 cognoscitur, ubi aequalis fratrum condicio significatur, tum utriusque fratris commemoratione in versibus 1392 (*σφῷν*) et 1396 (*παισὶ τοῖς αὑτοῦ*) comprobatur. Itaque Oedipus cum gravi cavillatione Polynici mandat, ut mala spe futuri ducum interitus aeque Thebanorum atque Argivorum confidentiam infringat.

b. Theseum regem, a quo Oedipus Attica terra benigne recipitur, Sophocles iis moribus praeditum inducit, ut candidam Atheniensium speciem pietate excellentium exprimat. Quam is praestantiam his potissimum verbis profitetur (v. 638 sq.):

εἰ δ' ἐνθάδ' ἡδὺ τῷ ξένῳ μίμνειν, σέ νιν
τάξω φυλάσσειν, εἴτ' ἐμοῦ στείχειν μέτα.
τὸ δ' ἡδὺ τούτων, Οἰδίπου, δίδωμί σοι
κρίναντι χρῆσθαι· τῇδε γὰρ ξυνοίσομαι.

In his versibus id interpretibus offensioni fuit, quod enuntiatum *εἴτ' ἐμοῦ στείχειν μέτα* apodosi caret, neque tamen, ut Nauckius eos expungat, ullo modo concedendum est. Neque Bellermannus feliciter agit, quod a codice L. A. declinans verbis *τόδ' ἡδύ* ad enuntiatum *εἴτ' ἐμοῦ στείχειν μέτα* relatis verba, quae sequantur *τούτων κτλ.* apodosin esse vult. Ei enim non modo pronomen *τόδ'* prorsus abundat sed ne vox *τούτων* quidem habet, quomodo apte explicetur. Ergo, quin post *μέτα* interpungatur et ellipsis sententiae statuatur, fieri non potest. Sententiam autem „gratum mihi erit“ hoc loco omissam esse Reisigius vidit. Quae licentia, cum omissa apodosis ex enuntiato, quod insequitur *τὸ δ' ἡδὺ τούτων κτλ.* facili negotio suppleri possit, satis excusatur et his exemplis stabilitur: Oed. Tyr. v. 91—92: *εἰ τῶνδε χρῄζεις πλησιαζόντων κλύειν,*
ἕτοιμος εἰπεῖν, εἴτε καὶ στείχειν ἔσω.

---

[1]) p. 120.

Eurip. Ion. v. 1120—1121:

πεπυσμέναι γὰρ εἰ θανεῖν ἡμᾶς χρεών,
ἥδιον ἂν θάνοιμεν, εἴθ᾽ ὁρᾶν φάος.

Quare Meinekium post versum 638 lacunae signa ponere opus non erat. Neque vero Wecklinius recte post verba *στείχειν μέτα* colo interpunxit, cum Theseus, quaecunque usque eo protulit, choro respondeat, extremum vero enuntiatum *τὸ δ᾽ ἡδὺ τούτων κτλ.* urbane repetit, quae modo ad chorum conversus dixerat, ut ad Oedipum regressus domicilii ei optionem praebeat.[1]) Denique interrogatione Thesei v. 643:

τί δῆτα χρῄζεις; ἢ δόμους στείχειν ἐμούς;

tam manifesto versus 632—642 significantur, ut ii nobis ab omni iam interpolationis suspicione esse alieni videantur.

c. Creonti Sophocles alios atque in Oedipo Tyranno mores tribuit. Est enim in Oedipo Coloneo homo callidus, qui ut id, quod cupit, assequatur, a simulatione ac vi non abhorret. Advenit autem, ut Oedipum, a cuius corpore Thebarum fortuna pendet, secum abducat. Quod quo melius perficiat ad commiserationem conversus dicit v. 738 sq.: *οὕνεχ᾽ ἧκέ μοι γένει*
τὰ τοῦδε πενθεῖν πήματ᾽ εἰς πλεῖστον πόλεως κτλ.

Dobraeus[2]), cui Nauckius et Maehlius[3]) assentiuntur, versum 739: *τὰ τοῦδε πενθεῖν πήματ᾽ εἰς πλεῖστον πόλεως* damnat ut conflatum e versibus 741—744: patroni eius sunt Meinekius, Heimsoethus[4]), Wecklinius[5]), Bellermannus. Vix autem verbo opus est, ubi mores ac consilia Creontis ab Oedipo infra retecta causam huius versus dicant. Quo enim modo, quae Creonti respondet Oedipus, intellegeremus verba v. 762:

λόγον δικαίου μηχάνημα ποικίλον

et v. 794: *τὸ σὸν δ᾽ ἀφῖκται δεῦρ᾽ ὑπόβλητον στόμα,*
πολλὴν ἔχον στόμωσιν· ἐν δὲ τῷ λέγειν
κάκ᾽ ἂν λάβοις τὰ πλείον᾽ ἢ σωτήρια,

(ubi vox *πλείον᾽* cum acerba ironia ad Creontis *πλεῖστον* v. 739 et 743 repetitum videtur spectare) si Creon tenuibus verbis usus illum, ut Thebas rediret, invitaret? Immo pleno hic ore querelas fundit neque, ut misericordiae consulto simulatae plus fidei faciat, ullum rhetoricae artis subsidium neglegit. Hinc illa literae *π* in v. 739 scita alliteratio, hinc illa verborum *πόλεως* et *λεὼς* in fine versuum 739 et 741 sonora concinnitas, huc denique illa versus 743 sq. obtestatio vocisque *πλεῖστον*

---

[1]) Velut supra Oedipus, postquam Ismenae respondit, in extrema oratione v. 457 ad chorum revertitur.

[2]) advers. II, 35.

[3]) l. l.

[4]) in ind. lect. Bonn. 1874.

[5]) p. 144.

repetitio spectant, ad quam delendam Nauckius verba scholiastae[1]) augustius paulo rem definientis in testimonium vocare non debuit, ut versus 743 et 744 in unum conglutinaret.

d. Sophocles in hac potissimum fabula personarum mores ita describit, ut quales sint bini homines, quorum condicio aliquo modo communis atque coniuncta est, totius eorum habitus ac sermonum oppositione dilucidius illustretur. Ea autem personarum paria sunt Oedipus et Theseus, Antigona et Ismena, Creon et Polynices. Cum vero Creontis insidias ad irritum cadere gaudeamus, quod Polynicis aperta poenitentiae confessione Oedipus non commovetur, nos, ut par est, miseret. Sed audiamus ipsum v. 1254 sq.:

οἴμοι, τί δράσω; πότερα τἀμαυτοῦ κακὰ
πρόσθεν δακρύσω, παῖδες, ἢ τὰ τοῦδ' ὁρῶν
πατρὸς γέροντος; ὃν ξένης ἐπὶ χθονὸς
σὺν σφῷν ἐφηύρηκ' ἐνθάδ' ἐκβεβλημένον κτλ.

Versum 1256 *πατρὸς γέροντος; ὃν ξένης ἐπὶ χθονός* serius in margine Laur. A additum Nauckius cancellis seclusit conexumque v. 1255 et 1257 sic restituere conatus est:

ἢ τὰ τοῦδ' ὁρῶν;
σὺν σφῷν ὃν εὕρηκ' ἐνθάδ' ἐκβεβλημένον.

Quae licentia nemini probabitur primum, quod versus 1256 in Parisino codice A fertur, qui alterius codicum familiae princeps post Laurentianum A auctoritatis secundum locum tenet[2]), tum quod L. A lectione v. 1257 *σὺν σφῷν ἐφηύρηκ'* docemur neglegentia primae manus eum versum, quo objectum *ὅν* contineretur, omissum esse. Denique versum 1256 Polynicis consilio patris misericordiam commovendi vel maxime inservire nemo negabit. Quis enim non videat, quam apta in ipso exordio patris senis commemoratio sit, cuius significatio *γέροντος*, si Nauckium sequeremur, versu demum 1259 languidius paullo inferretur? Neque vero verbis *ξένης ἐπὶ χθονός* carere velis, quibus non solum adverbium *ἐνθάδ'* v. 1257 magnopere eget sed etiam summum commiserationis argumentum continetur, quod exilium Polynices commemorat, cuius quod ipse quoque particeps sit, mox v. 1335

πτωχοὶ μὲν ἡμεῖς καὶ ξένοι, ξένος δὲ σύ

Oedipum sibi magis conciliaturus est.

Recte autem scholiastam ad versum 1254 adnotare *παραφυλακτέον πάλιν τὴν τέχνην τῆς ῥητορείας αὐτοῦ, ὅτι οὐκ*

---

[1]) *ἐγὼ μάλιστά σε καλῶ, ὅσωπερ πλεῖστον ἀλγῶ τοῖς σοῖς παθήμασιν.*

[2]) cf. Lipsius, de Sophoclis emendandi praesidiis, Misenae 1860, p. 4. R. Schneider „der Stammbaum der Sophokleischen Handschriften" in Iahnii annal. philol. 1877, p. 443 sq.

εὐθέως ἐπὶ τὴν ὑπόθεσιν ἑαυτοῦ ἀπαντᾷ ἀλλὰ προκατασκευάζει τὰ ὅλα εἰς εὔνοιαν vel e versibus 1301—12 cognosci potest: ἐπεὶ γὰρ ἦλθον Ἄργος ἐς τὸ Δωρικόν, κτλ. Cuius loci versus 1305—1307, Martinus[1]), quod paullo infra versus 1311—1312 idem fere exhibeant, ab aliena manu insertos esse suspicatur, ita tamem, ut pro illis etiam v. 1311—1312 expungi possint, cum praesertim propter Creontis modo factam expeditionem Polynicis copias in itinere potius esse quam Thebas iam circumsedisse putandum sit.

Quod argumentum ut statim refutem: res, quae agantur in fabula aut actae renuntientur, a poëtis spatio temporis paullo angustiore, quam natura ipsa postulat, interdum coerceri, quo celerius actio ad finem perducatur, quis est, qui nesciat? Tum sententia primaria, quae inest in versibus 1305—7: Polynicem velle discrimen imperi vitaeque bello facere versibus 1311—12 minime repetitur, quippe quibus enumeratio septem ducum praeparetur. Neque omittendum est, quod hi versus 1305—7 Oedipi verbis v. 1371 sq. peti videntur: εἴπερ οἵδε κινοῦνται λόγοι

πρὸς ἄστυ Θήβης· οὐ γὰρ ἔσθ᾽ ὅπως πόλιν
κείνην ἐρείψεις, ἀλλὰ πρόσθεν αἵματι
πεσεῖ μιανθείς, κτλ.

Denique, quod summi momenti est, similium verborum ubertate in v. 1305 et v. 1311—12, quo animo tum Polynices fuerit, scite demonstratur. Veretur enim, ut patrem simplici prece sibi conciliet, priusquam duritiam eius commiseratione ac suae condicionis descriptione inflexerit. Itaque, qua de causa venerit, usque prolaturus versibus

1284 ἀλλ᾽ ἐξερῶ· κτλ.
1291 ἃ δ᾽ ἦλθον, ἤδη σοι θέλω λέξαι, πάτερ,
1308 εἶεν· τί δῆτα νῦν ἀφιγμένος κυρῶ;

semper rem digressionibus differt, quibus Oedipi animum magis ipsi propitium reddat. En autem quam dilucide haec oratio composita sit: in qua versus 1284—90 exordii instar sunt, quod sequitur duplex digressio, quarum altera versuum 1291—1307 Polynicis condicionem patefacit, altera ac fere aequalem versuum numerum complexa (1308—1325) socios enumerat, quam excipiunt preces (1326—1345). Itaque sociorum commemoratio in priore digressione (v. 1305) Polynici occasionem suppediat, ut fusius paulo eorum nomina enumeret, priusquam Oedipum suorum consiliorum participem reddere conetur.

e. Ad Antigonae chorique mores spectare videntur versus 236—257: ὦ ξένοι

αἰδόφρονες, ἀλλ᾽ ἐπεὶ κτλ.

---

[1]) in prog. gymn. Posn. 1858, p. 31.

Scholiasta hic adnotat: *τὸ τῆς Ἀντιγόνης πρόσωπον ὅλον καὶ τοῦ χοροῦ τὸ τετράστιχον ἀθετοῦνται· κρεῖττον γάρ φασιν εὐθέως τῷ δικαιολογικῷ χρήσασθαι τὸν Οἰδίπουν πρὸς αὐτούς.* Nonnulli igitur veteres Sophoclis commentatores versus 236—257 a Sophocle abiudicaverunt, quorum sententiam Meinekius, Nauckius, Wecklinius secuti sunt. Quo loco primum monendum est hoc iudicium antiquitatis non plus valere, quam quod hodie aliquis doctus vir proferat, cum illi grammatici non argumentis extrinsecus allatis sed suo arbitrio ducti sint. Quid? quod Didymo scholiasta[1]) ipse adsentitur, qui huic loco obelum suum non apposuerit? Nuper autem G. Hermannus, Dindorfius, Maehlius, Bellermannus Antigonae chorique causam iure susceperunt ac venustati huius fabulae necessariam quamdam supellectilem vindicaverunt.

Atque ut singulos doctorum virorum scrupulos dissipemus: Meinekius, qui cum Cobeto facit, haud scio an iniuria Sophoclis ingenio vix dignum esse contendat, quod Antigona, ut aures ipsi senes praebeant, se non caecis eos oculis aspicere affirmet. Oedipum enim oculorum lumine orbatum ii patroni deserunt, qui mira quadam eloquentia orationem illustrant et homines vel durissimos saepe ad miserationem abripuerunt. Quo in discrimine Antigonae oculi causam caeci patris dicunt. Cum vero boni parentes, quidquid oculis liberi demonstrent, eis praebere soleant, haec venuste addit: *ὥς τις ἀφ' αἵματος ὑμετέρου προφανεῖσα* i. e. vos tanquam filia parentes suos (intuens). Neque vero ambitus verborum

> *πρός σ' ὅτι σοι φίλον ἐκ σέθεν ἄντομαι,*
> *ἢ τέκνον ἢ λέχος, ἢ χρέος ἢ θεός*

perverse cadit. Dum enim Antigona verba *φίλον ἐκ σέθεν* ad liberos tantum refert, aliorum amoris pignorum ei in mentem venit, ut totius versus 251 *ἢ τέκνον ἢ λέχος, ἢ χρέος ἢ θεός* primum tantum nomen *τέκνον* re vera verborum *φίλον ἐκ σέθεν* explicatio appellari possit. Quam inconcinnitatem animi eius commotioni optime convenire Hermannus perspexit. Nominum autem duo sunt paria, quorum alterum *ἢ τέκνον ἢ λέχος* ad ea bona provocat, quibuscum senes sanguinis necessitudine coniuncti sunt, alterum ad animos religione deo obstrictos referendum est. Itaque cur O. Hensius hunc versum deleat, prorsus non est.

Relinquitur, ut his versibus et Antigonae et chori mores a poëta depingi demonstremus. Atque Antigonam in hac fabula

---

[1]) *ἀλλὰ τὰ πράγματα αὐτοῖς οὐκ ἐν καιρῷ ἐστιν, ἀλλ' ἐν δυσπραγίᾳ, ὥστε ἐπαφρόδιτον εἶναι αὐτοῖς τὴν ἐλεεινολογίαν, καὶ τοῦτο τὸ πρόσωπον ἡ Ἀντιγόνη πληροῖ.*

partes placandi animos et reconciliandi suscipere tribus potissimum locis patet: uno, quo patrem iratum, ut Polynicem audiat, precibus adducit v. 1181 sq., altero, quo adhortatione, ne frater sua sponte in perniciem irruat, praevertere studet v. 1414 sq. Quibus hic locus tertius asseritur, ubi Antigona, quae supra v. 217 λέγ', ἐπείπερ ἐπ' ἔσχατα βαίνεις
patrem ad fortunam domus suae promulgandam permoverit, in ipso rerum discrimine, quin patris causae patrona exsistat auctoritate verborum, non recusat.

Quid? quod chori responsio, Antigonae orationis fide confirmata, item de moribus senum coniecturam permittit? Dearum enim numen laesum esse arbitrati, cum Oedipus lucum earum sacrum intraverit, Colonenses superstitiosi tantum scelus nisi expulso statim hospite expiari negant.[1]) Est enim graecae superstitionis proprium homines, ne deorum iram moveant neve religione aliqua vel innocentes obstringantur, usque anxios cavere.[2]) Itaque chorus hoc loco perseverat, dum Oedipus gravioribus ei argumentis persuadet deos ipsos, quorum sacer supplex sit, ab eo, si ipsum e terra eiecerit, poenas repetituros esse.

f. Nuntii mores versibus 1640 et 1646 illustrantur. Quorum priorem *ὦ παῖδε, τλάσας χρὴ τὸ γενναῖον φέρειν*
Nauckius tollendum esse censet, quod verba *τὸ γενναῖον φέρειν* vel, quae cod. Paris. A ferat *τὸ γενναῖον φρενί*, eam notionem non exhibeant, quam interpretes intellegant: „pati oportet id quod generosum est sufferre".

Videamus nunc, quomodo verba constituamus atque interpretemur, tum, cur hic versus suo loco optime inferatur, explicandum erit. Atque vacillat doctorum virorum sententia inter auctoritates duorum primariorum codicum: Hermannus, Dindorfius, Meinekius, Wecklinius, Par. A fidem *τὸ γενναῖον φρενί* tuentur, Bellermannus a parte Laur. A stat, quem ipse quoque secutus *τὸ γενναῖον φέρειν* scribendum esse puto. Officit enim lectioni *φρενί*, quod *τλῆναι* proprie valet „animo sufferre", ut eam notionem (*φρενί*) additam a Sophocle nunquam inveniamus. Ut vero verbum *φέρειν* servemus, adiectivum *γενναῖον* minime corrigi debet, velut Meinekius *δειλαῖον*, Nauckius notionem *τὸ πεπρωμένον* requirit. Neque enim ea voce Oedipi praeclarus exitus demontratur, sed infinitivus *φέρειν* voci *γενναῖον* attribuitur, qua filiarum praestantia in abeundo significetur. Oedipus igitur filias Thesei fidei commendatas abire iubet, priusquam ipse extremum spiritum trahat: quod tam pias filias a se impetrare sane generosum est „ihr müsst es über euch gewinnen,

[1]) cf. v. 232—234.
[2]) cf. Schultz, Studien und Kritiken 1883, p. 91.

hochherzigen Entschlusses hinwegzugehen etc." Similem autem infinitivi usum Bellermannus in v. 37 *χῶρον οὐχ ἁγνὸν πατεῖν*, v. 1652 *οὐδ' ἀνασχετοῦ βλέπειν* indagavit.

Restat, ut deleri nefas esse versum 1640 e consuetudine sermonis nuntiorum doceamus. Perlustrantibus nobis narrationes nuntiorum, ubi obveniunt, in Aiace, Antigona, Oedipo Tyranno, proprium eorum videtur esse, modo res occasionem suppeditet, directis orationibus tenorem narrationis apte interrumpere iis personis nominatis, ad quas quivis verba faciens a nuntiis inducatur. Conferas velim Aiacis v. 764 *τέκνον*, 767 *πάτερ*, 774 *ἄνασσα*, Antigonae v. 1211 *ὦ τάλας ἐγώ*, v. 1228 *ὦ τλῆμον;* in Oedipo Tyranno narratio nuntii orationes directas propter materiae indolem non praebet. Iam si in Oedipum Coloneum inquirimus, idem appellationum usus confirmatur his exemplis v. 1611 *ὦ τέκνα*, 1627 *ὦ οὗτος οὗτος Οἰδίπους*, 1631 *ὦ φίλον κάρα*. Huc oratio directa versus 1640 sq. accedit appellatione *ὦ παῖδε* animosius incohata. Neque vero Nauckius deleto versu 1640 nuntium ab oratione obliqua ad directam transire duobus Aiacis exemplis demonstrare potest, v. 756 et v. 762. Namque in Aiace de industria vocativus Teucri omittitur, ad quem initio orationis v. 751 sq. Calchas haec omnia verba faciens inducitur, ut ii qui audiant, quae de Aiacis superbia insequuntur, discernere possint. Quod, ne in Oedipo Coloneo fiat, timendum non est, cum Oedipi novissimae orationes eadem vi omnes afferantur.

Iam venimus ad eum locum, quo vitae scriptoris sententia, Sophoclem interdum parvulo hemistichio vel uno enuntiato mores personarum depinxisse, vel maxime comprobatur. Pergit enim nuntius v. 1645 sq.:

τοιαῦτα φωνήσαντος εἰσηκούσαμεν
ξύμπαντες· ἀστακτὶ δὲ σὺν ταῖς παρθένοις
στένοντες ὡμαρτοῦμεν.

Quem locum Nauckius et Wecklinius graviore interpolatione commaculatum esse suspicati varia ratione sanare sibi videntur.

Atque ut primum id crimen refellamus, quo Wecklinii argumentatio a Nauckio differt: vox *ξύμπαντες* optime cum verbo *εἰσηκούσαμεν* coniungitur, quod inde ab eo tempore unus Theseus relinquitur, ut audiat, quae fieri Oedipus velit, cf. v. 1644:

Θησεὺς παρέστω μανθάνων τὰ δρώμενα.

Tum, quod adverbium *ἀστακτί* melius cum verbis *κλαίοντες, δακρύοντες, λείβοντες δάκρυα* quam cum voce *στένοντες* coniungitur, minoris momenti est, cum *στένειν* paene synonymum eis sit, ut notionis *ἀστακτί* praegnantia facillime intellegatur. Neque vero Blaydesius aut Meinekius, fide v. 1251 *ἀστακτὶ λείβων κτλ.* nixi, iure scripserunt *εἶτ' ἀστακτὶ σὺν ταῖς παρ-*

θένοις κτλ., ut iota adverbii ἀστακτί corripiatur. Immo alterum locum vitiosum esse et Bothium ἄστακτα λείβων bene coniecisse constanti usu linguae graecae confirmatur, ut iota adverbiorum, quae dicuntur τοπικά, a stirpe consonanti derivatorum corripiatur, velut ἑκοντῐ, ἀκοντῐ, αὐτανδρῐ, iota vero a stirpe vocali derivatorum producatur velut ἀμαχεί, ἀβουλεί, πανδημεί, ἀσπουδί, μεταστοιχί, ἀνοιμωκτί, quibus asseritur ἀστακτί.

Denique Nauckius et Wecklinius vitium id esse opinantur, quod nos Sophoclia arte dignissimum esse putamus. Esse enim negant, quod satellites propter Oedipi exitum lacrimas fundant. Iniuria. Graeci enim ceterique eiusdem coeli populi affectibus animi facilius quam nostrates feruntur. Itaque ne virum quidem lacrimare dedecet. Quid? quod ipsos Homeri heroes lacrimas fundere ὥς τε κρήνην μελάνυδρον legimus? Cum vero Sophocles nuntium tantam animi mollitiem profitentem facit, eum dignum esse docet, qui praeclarum Oedipi exitum nobis referat.

Ergo integrum hunc locum esse relinquendum et verborum concinnitate et poëtae morum depingendorum ratione evincitur.

Iam, ut summam faciamus: Oedipi Colonei duodequadraginta locos[1]) temere in suspicionem interpolationis vocatos esse nobis videmur docuisse. Eorum autem sedecim locorum[2]) corruptelae, quarum emendationes propositae sunt, ac septem interpolationes, quas versibus 337—341 p. 22 (Meineke) (K.), 769^{b} p. 13 (Valckenaer), 1716 p. 13 (Reisig), 1747 p. 25 (Dindorf), 1758 p. 48 (Bothe) contineri apparuit, adeo non unius alicuius retractatoris manum produnt, ut alias aliunde ortas esse persuasum habeamus.

---

[1]) v. 75—76 p. 49, v. 236—257 p. 57, v. 278—281 p. 10, v. 299—307 p. 50, v. 380 p. 7, v. 510 p. 19, v. 552 p. 21, v. 614—615 p. 36, v. 632—637 p. 41, v. 638—641 p. 54, v. 658 sq. p. 23, v. 696—697 p. 39, v. 739 p. 55, v. 780 p. 36, v. 793 p. 53, v. 830—831 p. 8, v. 890 p. 23, v. 919—923 p. 37, v. 954—955 p. 42, v. 980—987 p. 31, v. 1011 p. 17, v. 1042—1043 p. 18, v. 1189—1200 p. 40, v. 1250 p. 15, v. 1256 p. 56, v. 1281—1282 p. 23, v. 1305—1307 p. 57, v. 1394 p. 53, v. 1411 p. 15, v. 1425 p. 15, v. 1494 p. 15, v. 1501 p. 10, v. 1523 p. 17, v. 1604—1605 p. 16, v. 1626 p. 42, v. 1640 p. 59, v. 1646 p. 60, v. 1768—1779 p. 43.

[2]) v. 71 (K.) p. 8, v. 306 (K.) p. 50, v. 458 (Meineke) p. 32, v. 521 (Martin) p. 18, v. 710 (Porson) p. 39, v. 946 (K.) p. 44, v. 1054 (Meineke) p. 29, v. 1068 (Schneidewin) p. 27, v. 1069 (K.) p. 27, v. 1132—1133 (G. Hermann) p. 52, v. 1142 (Rassfeld) p. 13, v. 1370 (Sehrwald) p. 45, v. 1371 (Piderit) p. 46, v. 1436—1437 (K.) p. 46, v. 1488 (K.) p. 8, v. 1713 (Nauck) p. 35.

Vita.

Carolus Georgius Krauth natus sum in vico Thuringensi, cui nomen est Schloss-Beichlingen, a. d. IV Non. Febr. anni p. Ch. n. 1857 patre Friderico matre Henrietta, quos etiam nunc vivere valde gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Literarum elementis in progymnasio Donndorfensi imbutus scholam Portensem per sexennium deinde gymnasium Islebense per sex menses frequentavi. Auctumno anni 1877 testimonio maturitatis instructus Halas me contuli, ut per sex menses scholas audirem vv. dd. Keil, Duemmler, Heym. Tum universitatem Lipsiensem adii ac per sexies 6 menses lectionibus interfui vv. ill. Curtius, Eckstein, Birch-Hirschfeld, Hermann, Lange, Lipsius, Ribbeck, Voigt, Zarncke. Ubi me admiserunt exercitationibus seminarii philologici Curtius et Lange, societatibus philologicis Ribbeck et Lipsius per bis sex menses. Postremo Halas redux factus per sex menses didici apud vv. clarr. Keil, Hiller, Duemmler, Thiele, Kirchhoff ac seminarii historici sodalis fui auspiciis v. d. Duemmler. Aestate anni 1883 examine pro facultate docendi Halis superato annum ad facultates in gymnasio experiendas Citici commoratus sum. Unde Halas reverti et per hiemem a. 1884/85 hospes adfui scholis vv. dd. Hiller, Dittenberger, Hering, Riehm, Schlottmann. Seminarii philologici exercitationibus ut interessem, benigne mihi permiserunt Keil, Hiller, Dittenberger; in seminarium historicum me recepit Duemmler.

Quibus viris optime de me meritis cum omnibus tum G. Dittenberger, benevolentissimo studiorum meorum adiutori, gratias ago quam plurimas.